auf der einen Seite [illegible] [illegible], f. der andern [illegible] Physiologie! [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] Erforschung der [illegible], u. ist ein d. organ. Körpers [illegible] des Auflösung in s. [illegible] Bestandtheile

DE

PRONOMINE RELATIVO

COMMENTATIO PHILOSOPHICO-PHILOLOGICA,

CUM EXCURSU DE NOMINATIVI PARTICULA.

SCRIPSIT

H. STEINTHAL.

ADJECTA EST TABULA LITHOGRAPHICA SIGNA SINICA CONTINENS.

BEROLINI.

APUD B. BEHRIUM, BIBLIOPOLAM.

1847.

's	est nostrum *sch*, It. *sce.*
'ſ	Franc. *j*, Lusit. *ge*, Copt. *'ſima.*
w	nostrum *w*, in Sin. vocibus ut Anglic. *w*, ita ut magis sit *u.*
x	nostrum *x*, Graec. *ξ*.
z	*dſ.*
'z	*dſ'*, Ital. *ge*, Copt. *'zanz'a.*
-'	lenem significat aspirationem post consonantem auditam. In Sin. vocibus super *a* et *o* = paene *ng.*
-'	asperam habet aspirationem, quae consonantem ipsam mutat.
-'	in Slavicis vocibus significat consonantes molles, post quas *j* lene auditur.

Sinica vox *orl* sonus indifferens videtur, qui Slav. *r* et *l* surda continet et sine propria vocali effertur, quare potissimum *rl* punctis subscriptis scripserimus. Copticas voces magnis literis excudi jussimus, quia eos, qui hanc linguam noverint, eam magnis literis scriptam videre consuesse opinabamur. In vocibus hieroglyphice scriptis vocales non scriptas parvo *e* denotavimus.

DE PRONOMINE RELATIVO.

Quod semper divino ingenio praeditorum tantum esse virorum dicant, liberalium studiorum atque artium viam aperire plane novam atque alios ad eandem incitare ineundam, et ea animi elatione, quam antea nequaquam opinabantur, intelligentiae proferre fines, alios vero sui ipsius animo, ut ita dicam, gravidare: id maxime illum virum praeclarum WILELMUM AB HUMBOLDT consequutum esse, omnes quos de hac re judicare licet uno ore consentiunt.

Nam ille, ut summa erat et ingenii amplitudine et magnitudine animi, quum gravissimas in literis res maxima eruditione atque subtilitate ipse confecit, tum longissimum in tempus non modo quae quaestiones ab iis qui in linguis perquirendis operam ponant sint tractandae praescripsit, sed etiam quomodo sint persolvendae docuit et praeceptis datis et exemplis. Itaque mihi quidem maximo est gaudio hic proloqui, semper beatum me fuisse, quum quae ille cogitaverit commentarer, meque quum toto animo ac studio omni verba illius divina cogitarem, solatium semper praesentium, in posterum vires suxisse, idque unum metuisse, ut satis ea intelligerem. Atque illud potissimum opus, quod tanquam introductionem libro suo: *Über die Kawi-Sprache* addidit, testamentum quasi videtur alicujus dei, qui postquam inter nos vixit in sublimiora discessit loca atque augusta.

Itaque nobis hoc unum agendum videtur, ut quae ille inceperit perficiamus, quae adumbraverit uberius explicemus. Probaturos igitur doctissimos spero viros, me quum primum umbratilium exercitationum mearum testimonium daturus sim, materiam elegisse tractandam, de qua jam ille heros, quamvis brevi, subtilissime disseruit.

Nam propositum mihi est, de pronomine relativo ita disserere, ut notionem ejus ac vim describam, cujusque sit momenti ad admirabilem illam, qua linguae tanta sint mentis cogitationisque adjumenta atque idearum quasi officinae, corroborandam exponam potestatem. In quo id maxime ago, ut quod generaliter definiverit ille, singulas quas noverim linguas perscrutans latius, ut potero, explicem.

Linguae eo videntur praestabiliores, quo sunt cogitationi accommodatiores, quo magis sententiarum adjuvant subtilitatem ac perspicuitatem. Nam lingua est animi humani corpus, quod sibi ipse et in quo ipsum se creavit. Animus enim quum intima ejus vis atque virtus sit libertas, a visis quibus pellitur ad se revocetur, suique ipsius fiat potens necesse est. Qua ex re quaecunque sensibus percepit sibi proponit, ipsumque se sibi facit objectum. Quod quamvis tota agat vita actioneque omni atque cogitatione, primum tamen atque absolutissime perficit lingua, quae sit quodammodo mundus quidam.

Nam haec universam continet rerum seriem inter mentis notiones cogitationesque positam et res sensibus obnoxias, duasque has inter se conjungit. Quum enim homines loquantur, aliquid duplicis atque contrariae naturae faciunt: rem in aliquid cogitatum mutant et cogitata ita exprimunt, quae sub sensum cadant. Quare fit, ut lingua sit aptissima, qua homines universum mente ac cogitatione percipiant, quum animo res tali modo immutatas praebeat, ut ei sint maxime consentaneae. Itaque lingua est instrumentum quoddam, ab animo creatum, quo ipse hic pro illius majore aut minore perfectione magis minusve adjuvatur incitaturque aut omnibus cohibetur curriculis atque certaminibus. Nam quo magis animo contingit ut, quod diximus, a visis sese liberet ipsumque se cum omnibus sensibus, cogitationibus, notionibus, ideis suis sibi proponat in lingua; quo igitur veriorem hac sui ipsius effingit tanquam imaginem ac perfectius simulacrum: eo magis corroboratur, eo cogitationes fiunt vividiores, eo judicium fit acrius. Atque vero non modo res nominentur co-

gitationesque exprimantur, sed omnes tenuissimae mentis distinctiones atque intima rerum idearumque inter se ratio et cohaerentia indicentur necesse est. Qua quidem in re linguarum progressus cernitur atque cultus, quocum semper accessio convenit animi virium. Initio enim homines quum, animo rerum varietate diducto, singulas quascunque res sensibus perceperant paris momenti aestimarent: quaecunque sibi cogitatione finxerant eadem enunciabant forma, sententiasque, sicuti res viderant, omnes deinceps ordine ponebant. Ut vero ipsae res hac ratione sensibus vehementer excitatis omnibus perceptae sunt ac poetice quodammodo non in elementa sua mente divisae, sed admirabili quodam obtutu, ut sunt integrae totaeque, toto animo comprehensae: ita verbis etiam numerose exprimuntur, et sine industria orationis nascuntur lumina, et concinna parallelismi cujusdam forma non quaesita est sed secuta. Ita apud Sinenses, apud Fennos, apud Hebraeos. Immo vero apud Graecos in epico quidem carmine ut cogitationes e rerum medio sumptae aliae super alias adduntur una serie nunquam interrupta: ita unus atque idem rythmus omnino regnat. Atque in principio certe omnem versum totam inclusisse sententiam verisimillimum est. — Quum autem res graviores a rebus levioris momenti distinguere atque esse inter eas rationem quandam cognoscere inciperent homines, simplex haec sententiarum copulatio non amplius sufficere potuit, sed id nitebantur, ut non solum ideas et sententias, sed rationem etiam, quae inter eas intercedat, modumque quo sint copulandae in sermone exprimant enunciationum formis. Itaque quum sermone distincto et dilucido ipsarum sententiarum acies augeatur atque excelsitas, lingua vicissim sententiarum frequentia, gravitate, denique subtilitate nova capit incrementa, atque animi humani ascensione altius assurgit oratio. Quae, quum bene sit composita, apteque conclusa, vera est cogitationum logica ratione ordinatarum imago. Quodsi valde est difficile simplicissimam sententiam in elementa sua logica solvere singulisque nominare verbis, singula vero ita ad enunciationis unitatem redigere, ut unum quodque per se maneat intactum et tamen se indicet partem alicujus sententiae, in qua sola sit vivum: quanto

habendum est difficilius ac quanta requiritur mentis subtilitas atque animi vis, quum totae enunciationes ad unam conjungendae sint periodum; quumque illud jam multae linguae re vera assequi non potuerint, minime videtur mirandum, si hoc ab iisdem multo minus sit effectum. Sed si qua lingua simplicem enunciationem apte formare potest, illum etiam orationis ambitum, nisi externis impediatur causis, assequetur. Hic enim, ut illa, in eadem positus est linguae creandae facultate, quae quum recto modo exerceatur omnia ad exitum perducat aut nihil efficiat, quum in falsam ducatur viam.

Quem linguarum progressum postquam universe tantum adumbravimus, sequitur ut separatim quantum ad eum conferat pronomen relativum demonstremus. In quo philologorum utemur ratione. Linguarum enim scientia philologiae est disciplina. Sed fortasse non alienum videtur ejus doctrinae quam profitemur rationem qualem nos quidem perceperimus paucis declarare; quemadmodum ea ad universas literas atque ad philologiam potissimum referenda sit; quae sit ejus notio, quae via?

Omittamus quid aliis disciplinis, ethnologiae, historiae, scriptorum interpretationi afferat incrementi; quid ipsa per se sequatur, hoc videamus.

Intelligentiae humanae vel universarum literarum munus mihi videtur, simplicem atque absolutam percipere rationem, quae quum in mundo vel *natura* tum in *generis humani historia* appareat. Atque vero in ipsis literis cernitur perfectissima ratio illa, quam Deum vocamus, eaque clarissima atque amplissima. Itaque jure dici mihi videtur, literas esse Dei vitam, quam agit in intelligentia ac specie, quam Graeci ἰδέαν appellabant. Quum igitur duo sint literarum genera, unum *naturae* alterum *humani animi historia*, philologi quidem id sibi sumunt, ut quaecunque ὁ λόγος sive ratio humana procreaverit perspiciant. Quidquid autem ratio profert est aliqua idea, aliquid cognitum menteque perceptum, licet quasi corpus quoddam induerit, sive ab hominum societate re publica ad effectum sit adductum, sive e lapide fictum, sive mythis et religione expressum, sive philosophorum subtilitate demonstratum, sive poetarum suavitate sive oratorum copia

atque ubertate tractatum.*) Itaque una viri doctissimi atque clarissimi Böckhii definitio mihi videtur recta: *philologiam esse cogniti cognitionem.* Quod non ita est intelligendum, ut philologi actum agant; sed quaecunque facta sunt tali modo denuo mente sunt producenda, ut, quum non a singulis ad arbitrium gesta, sed e necessaria quadam liberi animi humani agitatione orta cognoscantur, tanquam speculum et imago quaedam appareant rationis humanae. Quod abstracta rerum notione assequimur minime, sed eo quod omnia singula quaeque quum perceperimus atque inter se contulerimus, ad unitatem redigimus, ad ultimamque historiae rationem ac speciem, quae in animo humano posita sit patefaciendo, revocamus. Ita enim solum veram omnium temporum atque populorum tanquam effigiem animo nobis fingimus.

Quae quum ita sint, is qui in philologia operam ponit, tantam suscipere videtur rem, quantam facultate consequi nemo unquam potuit neque unquam quispiam poterit. Quid enim est majus, quam, quum tanta sit populorum atque aetatum multitudo, cujusque gentis vitam, res gestas, studia, religionem, artem ita cogitatione complecti, ut totius generis humani in cultu atque humanitate progressus concretam speciem atque effigiem animo videamus? Quodsi singuli nunquam hoc perficere possunt, ne tamen deterreamur, teneamusque eum cursum, quem poterimus. Nam quum philologia per se sua ipsius notione in complures divisa sit disciplinas, omnisquisque eam sibi eligat disciplinam, ad quam elaborandam maxime sit ingenio instructus, dummodo sciat, se minime habere aliquid totius ac per se absoluti, quod sibi plane sufficiat, dumque ei semper totius philologiae adumbrata quidem imago et species in mente versetur, dum denique semper ea quae sciat ad universa studia, quin etiam ad universa animi opera totamque referat vitam humanam. —

Ac primum quidem quum genus humanum tribuatur in populos, philologiae argumentum populorum habita ratione

*) Quare philologiae historia etiam ad philologiam pertinet; sed ita, ut v. c. classicae quam dicunt philologiae historia sit locus eorum, qui recentiorum gentium vitam philologorum via considerent.

divisum est. Itaque perquiritur, quo direxerit cursum animus humanus apud singulos populos in omnibus suis operibus. In quo admirabile est, quantum inter omnes populos duo excellant. Nam negari non potest, in vita duorum classicorum, ut dicunt, populorum fuisse aliquid eximium ac paene perfectum, ex quo absoluta ratio ac vera humanitas pelluceat, illosque dignissimos esse, qui a multis viris ingentis ingenii maxima cum diligentia considerentur ac pervestigentur. Sunt illi nostra mente in vitam restituendi, qui tanquam gratissimi nostrum exagitent animum atque adjuvent. Attamen qui illi antiquitati student totius philologiae munere funguntur minime; quin etiam quum partes a toto, cujus sint partes, absolutae penitus perspici non possint, illa classica philologia, si suis finibus exiguis continetur, ipsi sibi vere satisfacere non potest. Quare omnes viros vere philologos magno afficit gaudio, quod nostris tandem temporibus populi Semitici, Indi, Tatari, Sinenses, gentes illae, quae regionem in septemtriones spectantem incolunt, Romanenses denique, Slavi ac potissimum Germani philologorum provinciae subjiciuntur. A singulis quidem gentes Americanae innumerae et Malaicae et Africanae considerantur, ac brevi fortasse vix unus totius orbis terrarum populus oblivionis nos accusare poterit. Sed metuendum videtur ne quot populos tot habeamus philologias, quas qui profitentur inter se negligant.

At philologiae argumentum alio etiam modo descriptum est. Nam quum animus in se ipso in diversas abeat partes et diversis patefiat modis vel formis, quas ideas nominamus, ut re publica, familia, arte, aliis: id etiam quaerendum est, quid animus in aliqua sua agendi ratione vel forma apud omnes quos noverimus populos efficere potuerit. Quam idearum vel formarum historiam et illam populorum historiam inter se ut ita dicam decussare facile intelligitur. Quod ipsum est quod volumus. Ita enim quae utramque philologiae tractandae viam per se ab altera disjunctam deficiant, quum ambae omnibus locis conveniant, supplentur, ac quae singuli viri variarum philologiae disciplinarum studentes excogitant semper conjunguntur. Atque hoc modo fit, ut, quod omnis est or-

ganismi maxime autem animi proprium, philologiae partes, ut sunt divisae, ita etiam sint comprehensae.

Ex omnibus autem istis ideis maxime ea separatim considerandа videtur, quae loquendi facultati est insita. Itaque linguarum scientiae esse mihi videtur demonstrare: quomodo variis totius generis humani linguis orationis idea, quae semper natura ac vi sit una, variis modis et formis ad effectum sit perducta, ac quid tandem omnia per tempora usque ad nostra consequi valuerit. —

Itaque duae illae philologorum functiones, interpretatio et crisis, eorum etiam sunt, qui linguas pervestigant. Atque interpretatione quidem omne linguarum elementum quid valeat est definiendum; crisis autem in comparando posita est atque judicando. Unam sine altera nihil proficere in aperto est. Nullum linguae elementum vere interpretari possumus, nisi historiam ejus novimus. Quam eo tantum discere licet, quod testimonia conferuntur, quae ipsum illud variis suis, quas in variis temporibus et linguis induit, dedit formis. Atque ad quodvis linguae elementum intelligendum consanguinearum dialectorum comparatio plerumque satisfaciet. Sed si quaeris, utrum nonnunquam, quum consanguineae linguae comparari non possint, sive quia non sint, sive quia certo cuidam elemento propinquum non habeant, aut quum interiora quaedam ac magis recondita studia exerceamus, linguas quae magis minusve inter se sint alienae, liceat comparare? concedo, dummodo maxima fiat circumspectione atque cautione. Nam quamquam omnes linguas ex una eademque lingua ortas principali hodie quidem nec contendi nec negari posse videtur, quoniam plurimas linguas adhuc parum perscrutati sumus: attamen id quidem omnes linguarum studiosos admonitos velim, ut penitus animis nostris et mentibus mandemus quod ab Humboldtio, clarissimo omnium nostrum praeceptore, praeclare est dictum, firmam esse rationem, certamque linguarum studii regulam, ut tamdiu quam poterimus omnium linguarum persequamur cohaerentiae vestigia. At confundis linguas. Minime. Id enim potissimum est consilium nostrum quum linguas comparemus, non ut similia cognoscamus, sed dissimilia, non ut confundamus, permisceamus,

sed ut distinguamus, discernamus. Illud enim hebetis videtur esse ingenii; hoc vero sine comparatione vere fieri non potest. Neque enim crisis neque combinatio, quam nominant, philologo desit oportet. Nam crisis est distinctio rerum comparatarum. Quomodo cognationis inter linguas gradus describere possumus, nisi linguarum comparatarum fines magis magisque dilatamus? Quomodo res nominare possumus propinquas, nisi longinquiores etiam cognoverimus, hasque cum illis contulerimus?

Sed utcunque se res habet, id quidem constat, sonorum in variis linguis discrepantiam neque ita esse certam ac firmam neque tanti momenti, ut ea potissimum linguas inter se dissentire existimemus. Nam mehercle, ut taceam philologorum, qui linguas historica ratione inter se comparant, disquisitionibus magis magisque nos istam evanescere vidisse, linguarum diversitas in diversis quas exprimunt logicis potissimum rationibus varioque et rerum et rationum percipiendarum modo positum est.

Verum enim vero intimi populorum animi, diversa eorum ingenia facultatesque ùltimae sunt linguarum diversarum causae, ad quas sonorum quoque varietas maxime est reducenda. Nam si quem populum illa praestantis ingenii vis, quae cogitationem totam atque distinctam effingit vocibus, forte deficiet, quum minus instructus sit vel illo animi in distinguendo acumine vel illa vocum bene articulandarum facultate, multas categorias aut omnino non exprimet, aut certe non recta ratione. Si igitur alienas consideramus linguas, nostrarum obliviscamur categoriarum, sed quas illae exprimant videamus ac quomodo, et ne in illas inferamus, quae in iis non sint, quae populi qui iis loquuntur neque noverint neque sentiant, valde caveamus. Rectissime enim dictum est: quod non est in sono, non est in sensu. Quodsi Beckerus (Organismus p. XIX) ad defendendam logicam linguarum unitatem id profert, in omnibus linguarum grammaticis aequales distinctos esse casus, modos, tempora, alia: hoc ipsum est, quod vehementissime Humboldtius vituperabat. Sin B. grammaticos priores vituperat nimium linguarum formas pressisse, omnino ex contrario potius est dicendum, quod vituperet non esse factum,

quamvis valde optandum. Linguam organice quodammodo esse constitutam hodie quidem millies repetitur ac recte justeque. Itemque est concedendum, omnes linguas, quum naturali quadam necessitate sine industria ac commentatione ex intimo animo humano, qui in maxima re apud omnes populos semper sit idem, tanquam ex fonte emanaverint, omnes, inquam, habere aliquid simile atque aequale. Sed rectius etiam contendendum videtur, linguam non aliquam rem esse organicam, sed potius genus quoddam rerum organicarum, quod in multas divisum sit species atque individua. Omnis lingua est singula et ut ita dicam aliquod individuum. Nam generalis linguae idea omni cujusvis populi sermone certa ac constanti quadam ratione exprimitur. Hanc quidem unice spectare debemus; nam veram atque singularem illius naturam perspicere nos oportet. Atque, nisi fallor, ex hoc nostro libello apparebit, tantam inter nonnullas linguas esse discrepantiam, qua inter polypodes et superioris ordinis animalia non possit esse major. Quomodo autem physiologus illos negliget, considerabit haec sola? Quomodo superiores rerum naturalium gradus intelligemus, nisi perspeximus inferiores? Una naturae atque linguae perscrutandae via ac ratio vera est *genetica*, quam dicunt; atque ea non ita est accipienda, ut singularum tantum linguarum perquiramus historiam et genesin, sed linguarum disciplina in eo versatur, ut ideae, quae ut sono ac voce exprimatur contendat, progressum atque ut ita dicam certamen exponat cum sono initum. Ut quaevis naturalis res testis est victoriae ab animo ex materia relatae: ita quot linguae tot gradus victoriae, quam idea cum voce certans adepta est. Inter inferiores autem et superiores linguarum gradus vel ordines tantam esse varietatem, quantam inter inferiora animalia ac superiora, quae gravissimis organis ac maxime necessariis inter se differant, ita profecto apparebit, ut eo ipso, in quo verum orationis positum sit quasi robur ac propria vis, linguas demonstremus discrepari.

Nam omnis quidem sermo est aliqua, quae ab Humboldtio *) vocabatur *ponendi actio*, *comprehensione* vel *syn-*

---

*) Einleit. p. CCLXV.

CXVIII. CCLXIV

L/ O

thesi quadam effecta. Quae comprehendendi vis, e cujus firmitate ac robore aut debilitate imbecillitateque linguarum pendet praestantia aut vitium, in quavis sonorum et significationis conjunctione cernitur; deinde autem in categoriarum vel orationis partium signis radicibus affixis, quibus notionem exprimas aliquo comprehensam genere, ut substantiae, qualitatis. Maxime vero illam syntheticam vim in enunciationibus animadvertere possumus formandis, in quibus unice regnat verbum, quod sententiae articulos membraque amplectatur. Cum verbo autem intime cohaerent arctissimeque pronomina, utpote quibus solis voces formantur et sententiae. Itaque quum verbum sit formarum causa ac tanquam rector et moderator, pronomen est materia, qua illud et alias voces forma afficit et se ipsum et totas sententias.

At quum semper formae notio difficilis sit perceptu, quid apud nos forma valeat distincte dicamus necesse videtur. Ac quaeritur, qua ratione, quum tota lingua non sit nisi forma, certa quaedam ejus elementa materialia nominemus, alia formalia? Quam ad quaestionem plerumque ita respondent, ut dicant, quum linguae duplex quoddam sit propositum indicare et ipsas res cogitationesque et earum inter se rationes: omnes voces et syllabas, quibus aliqua rerum inter se ratio exprimatur, κατ' ἐξοχήν partis materialis, qua res nominentur, constituere formam. Quare pronomen, quum in aperto sit eam esse vocem, qua res aut quod ad rem referatur non habita ratione verae hujus vis ac naturae, sed conditione sua statuque designetur demonstreturque potius, minime proprie nominetur, nunc quidem parti linguae formali annumeratur. In quo quidem esse quid veri non negem. Sed fortasse res subtilius etiam est definienda. Quae quum per se in linguarum disciplina sit gravissima et ad nostrum pertineat propositum, hic latius a nobis tractetur.

Atque equidem, ut primum opinionem istam, omnia pronomina voces esse formales, refutem, non video, cur lingua, quum in universum res ita indicet, ut aliquod signum, qualitatem, actionem maxime in ea perspicuam exprimat, non ita quoque res nominare possit, ut aliquam ejus conditionem

relationemque enunciet? Ac profecto vocem, qua res designatur, formalem appellare non possumus.

Itaque tales voces, ut *der Oberst; der, die, das obige* esse formales nunquam audivi nec legi. Qua igitur ratione adverbia *oben, unten* magis formalia dicere possumus, quum quamvis relatione quadam, ut illae voces alicujus substantiae, ita haec alicujus actionis vel status indicent qualitatem? Nonne vero *jener, dort, dieser, hier* eandem significant rem, quam illa? Incertius quidem et extrinsecus, attamen rem designant. Omnisquisque est *ego*; sed tamen *ego* aliquam personam loquentem significat. Atque vero in hac re discrimen positum est illud inter pronomina et signa personalia intercedens, quod a viris etiam de linguarum disciplina optime meritis non satis perspectum videtur. Quod brevi ita definiam, ut dicam pronomina personalia esse subjecta et voces quas dicunt materiales; sed personales verborum exitus velim elementa esse formalia categoriarumque signa; quibus minime subjecta exprimi, sed actionis ad personas rationem. Quam ob rem, quod Pottius, vir valde mihi ut omnibus colendus, putat, vocem „nos" idem valere quod exitum „mus" verbi *sumus*, et vocem *is-t* idem esse atque *sein-er* (II, 654) probare non possum. Sed *er* est subjectum et vox materialis, qua aliquis homo denotetur; litera t vero est signum formale, quo grammatica 3ae personae categoria designetur, vel logica *essendi* ad aliquem relatio. Decurtatis quidem verbi exitibus pronomina ut signa personalia adhiberi, ut apud recentiores populos, non nego; sed *curr-o* aliud est quam *ego curro*. (Idemque contra Beckerum etiam p. 200, dictum velim.) Qua in re id etiam cernitur, quo linguae, quae vere flectant ab aliis dissentiant. Hae enim pronomina cum radicibus vel participiis componunt, illae verbis categoriarum signa induunt. Atque etiamsi externa flectionis species compositioni sit similis, tamen interna ejus vis ac natura valde ab hac dissentit. Id vero est vitium linguarum istarum, quae flexionem non attigerint, quod formam et materiam non satis distinguunt. In forma autem et materia acerrime inter se distincta aptissimeque composita sola, synthetica quam Humboldtium sequentes nominamus linguae vis valet vigetque.

Quibus personarum signis, quae rationem inter actionem et subjectum intercedentem atque in sententia gravissimam exponunt, opposita sunt pronomina relativa, quibus subordinationis, ut ita dicam, categoriae indicentur, attributum nempe et casus.*) Quod in simplici enunciatione, idem fit in sententiis compositis. Sed in his quum non singula verba sed incisiones vel commata, quae ipsa enunciant, sint conjungenda, inter seseque referenda, relativorum vis corroboretur atque augeatur necesse est. Quare relativum quum in simplici sententia saepissime coalescat cum ea voce, quam ad aliam quandam refert, in periodo semper fere est solutum. Quod tamen non sufficit; sed in enunciatione adjectiva formam induit attributivam. Ac tum κατ' ἐξοχήν nominatur pronomen relativum. In sententia vero adverbiali relativum adverbii formam aut casus cujusdam habet exitum. Qui summus est linguae excolendae gradus, quum id, quo formantur verba et flectuntur, ipsum sui ipsius ope formatur. Quem gradum profecto perpaucae attigerunt linguae, multae in inferioribus ac permultae in infimo constiterunt. Nam quamvis omnes ad unum tendant, tamen diversissimas sequutae sunt vias, paucissimae quidem finem adeptae sunt, plurimae tantum a proposito aberraverunt, ut quasi ne e carceribus quidem exierint.

Quibus generatim expositis nunc jam singillatim enunciationis formandae modum atque originem persequamur ac tanquam historiam, semper ratione habita pronominis relativi. —

Enunciationem primum atque minimum nominare debemus verae vivaeque linguae effectum. Quum enim animus voce internos erumpit motus, jam formata est enunciatio. Itaque interjectiones, quae aliquem animi affectum exprimant, quodammodo enunciationes sunt habendae. Tum autem voluntas est declaranda ac quum interjectiones istas vix humanae existimes linguae, hae, quas imperativas nomines enunciationes a libera jam creantur mente. Nam aut vocatur res vel actio, quae postulatur, aut certe demonstrativa aliqua voce demonstratur. Qui gradus in omnibus inveniuntur linguis, ac quamvis nullam contendam om-

*) Hanc sententiam infra arctioribus circumscribemus terminis.

nino in iis constitisse, tamen, si ad vivum resecamus, linguam Sinicam eo esse singularem, quod enunciationes formet nullas fere nisi istas demonstrativas et vocativas, fortasse non injuria dicimus. Nam persaepe dictum est, e radicibus constare eam solis. Sed si radicem nominamus eam vocem, qua notio abstracta complurium, quae unam quasi familiam constituant, verborum sine ulla aut personae aut actionis aut substantiae ratione designatur: Sinenses ut omnes alii populi radices in oratione plane non patiuntur; ac tantum abest, ut Sinenses abstracta utantur oratione, ut potius, sicuti omnes homines, qui inferioribus culturae gradibus insistunt, imaginibus ut dicunt concretis mihi videantur abundare. Verba enim Sinica imagines potius exprimere videntur totas, quam separatas abstractasque cogitationes. Nos quidem quum dicamus „*magnum*", quod a radice „*mah*" *crescere* originem ducit, mente qualitatem crescendi a re crescenti separamus. Sed Sinenses quum dicunt *tá* (3 q) imaginem rei crescentis animo effingunt et secundum sermonis contextum aut rem aut qualitatem, aut actionem aut actionis causam urgent. Quare *tá* dicunt significare posse: *magnum, hominem magnum, magnitudinem, crescere, augere, alia.* Vox *'ſin* (1 s) valere potest *hominem, hominem esse, tanquam hominem se gerere (etiam de animalibus quae erecto corpore incedunt), efficere ut aliquis tanquam hominem se gerat, humanus, humane, humanitatem* (quamvis *'ſîn* cum hac significatione aliter (5 v) scribatur), *humaniter tractare.* Quod quomodo fieri posset, nisi Sinenses hoc verbo totam hominis omnibus viribus agentis imaginem describerent? Non minus enunciant Sinenses quum loquantur, sed plus quam necessarium est, quum verbis non ut nos abstracta imaginum elementa edicant, quae cum aliis ad novam imaginem exprimendam conjungantur, sed imagines totas enuncient. Quare fieri potest, ut si auditur vel legitur verbum Sinicum *sĭ* (9 a), quod obscuritatis mundo obductae imaginem repraesentat; ex hac aliqua actio, quae in obscuritate aut obscuritatis tempore fit, sit excipienda. Itaque *sĭ* aliquando reddendum est: vesperi apparere imperatori. Verbum *'c̓àng* (9 b) depingit aliquem baculo utentem et verti potest: *baculum manu tenere, baculo incumbere, baculo fe-*

14 朝 tschao 302 Morgen; Morgendämmerung früh—

rire, baculum. Quam recte vero opinatum sit, verba ita genita esse, ut homines impulsiones extrinsecus oblatas sono exprimere studerent, eodemque sono res, quibus pulsi erant, nominarent, verba Sinica docent, quae adhuc saepius eam habent vim, ut non modo res, sed etiam appulsus, quos sensimus, significent. Itaque *'sén* (2 f) non modo significat *bonum, quid boni, virtutem, perfectum reddere*, sed etiam *amare* et *laudare*, quia boni ac perfecti adspectu ad amorem laudemque pellimur; contra, quae *inane* et *malum* significant, ut *feì* (2 u) *improbandi* et *odii* et *despiciendi* habent vim. Haec autem significatio, quam lexica quidem recensent secundam, re vera est prima, et *feì* prius improbationem (cf. *pfui! fi!*) expressit, quam *nihil* aut *malum*, vel potius sensum appellat, quo rei foedae aspectu pellimur. Quare scholiastes Sinicus, quum adjectiva explicet onomatopoetica, quibus saepenumero in libris sacris occurrimus, utitur verbo *máo* (8 x), quo dicit adjectiva haec denotare appulsum, quo ejus rei ad quam pertinent aspectu pellimur. Quam ob rem verba Sinica quum impulsiones imagine oblatas exprimant, non mirum videtur quod totas rerum et actionum imagines depingunt et unum quodque totam continet enunciationem. E quibus linguam Sinicam patet non habere verba ut nostra. Nam in ea simplicissima enunciatio non in verba sed in complures enunciationes, alias aliis appositas, dilabitur. Itaque *fú haó cỳ* (8 y, 8 r, 1 o) *pater amat filium* accuratius est vertendum: (hic est) *pater*, aliquo bono pellitur vel *amat*, (ille est) *filius*. Nam hae tres sunt enunciationes, quas nominavimus, demonstrativae, quarum conjunctio est supplenda.

Quare quum omne verbum formet quodammodo orationem quandam, partes orationis lingua Sinica non habet. Quod vero dicunt, grammaticas actionis et substantiae categorias accentus mutatione indicari, monendum est, id minime semper fieri; accentum autem in lingua Sinica omnino aliter sese habere atque in aliis linguis, quum non variet aliquantulum vocales sed ipsam earum constituat naturam ita, ut mutato accentu vocalis quoque plane fiat alia significationemque vocis omnino mutet. Quare „*wāng*" *rex* et „*wáng*" *regere* (2 p) duo verba quamvis ejusdem originis censeo habenda. Et ipsum

wáng substantivum esse potest, ut respondeat latine *regimini*. Itaque haec accentus mutatio non est comparanda cum nostra vocalium mutatione in *ich binde* et *ich band*, *das Band*, sed cum *Band* et *Bund*, *lieben* et *loben* (a rad. lub') et cum graecis δρέπω et δρύπτω (a rad. drī), σχίζω et σχάζω (a 'c'id), quae semper duo verba sunt habita. Atque adhuc nemo dubitavit, quin *wēn* (6 q) audire et *wén* (5 f) quaerere, quae plane eodem modo quo *wāng* et *wáng* discernuntur, duo sint verba. Sed non solum *wāng* et *wáng* sunt discernenda ut *wēn* et *wén*, sed haec etiam sunt conjungenda ut illa. Re vera enim *wēn* significat *aures erigere*, itaque et *audire* et *audire velle* vel *quaerere*. Quod ne quis credat subtilius fictum altiusque petitum, id etiam commemoro, verbum *tíng* (5 o) significare *silentem tacitumque esse*, deinde autem *auscultare*, et *quaerere* aut *velle auscultare* (Schi king II, 4, 10.).

Ex quo patet, accentum nihil conferre ad categorias exponendas, sed linguam Sinicam, quamvis sententiae membra alio modo distinguat, ut infra demonstrabitur, quodammodo tamen in eo linguae colendae gradu constitisse, quo enunciationis elementa nondum sint distincta, et ita loqui Sinenses, ut res vocent vel demonstrent, qua vocatione vel nominatione enunciatio implicite continetur.

Sed mentis humanae est, composita ac confusa distinguere, et sententiae, quae apte convenienterque proferatur, elementa logice discernantur necesse est, atque ipsa elementa singulis vocibus et logicae eorum rationes vocum inflectione designentur, voces ad categorias disponantur, formenturque partes orationis. In quo quidem populorum animus persaepe a vera via aberravit. Nam persaepe distinguenda confudit, distinxit conjungenda; in rebus minutioribus maximam collocavit operam, neglexit necessaria; persaepe falsis usus est adumentis, abusus rectis. Nam hi errores inter se afferunt, ut vix dicere possis, qui ex iis prima fuerit aliorum causa. Primus autem, qui in lingua creanda a mente committitur error, sui fit juris, ipsique animo objicitur, atque adulterium, quo ipse natus est, eo ulciscitur, quod animum inducit ad alia similia false creanda. Itaque mens ipsi sibi vincula injicit, qui-

conjungantur. Non modo quid cognitum sed ipsam cognoscendi actionem esse exprimendam, quod fiat copula.

In quo hos viros cl. a. d. sequi non possumus, siquidem Humboldtium recte intelleximus. Nam primum quidem, ut supra jam diximus, synthesis illa, quum vix temporis momento ac ne vix quidem agatur, voce designari potest minime, ac si quis populus tale signum invenire conetur, jam sese vera illius actionis vi ac potestate non gaudere indicet, quum naturam ejus plane non noverit. (cf. quae supra diximus et Humb. CCLXV). Deinde autem id est huic synthesi vel copulationi proprium, quod cogitationem non ut nostram enunciet sententiam vel nostrae mentis judicium, sed potius ut aliquid vere factum et ante oculos nostros versans, quod idem modo jam diximus.

Sed quaestio facilis videtur, quum illud quod inter pronomina personalia et personarum signa fecimus discrimen teneamus. Dicere possumus: *ego amo* et (τὸ) *ego amat.* Nam non loquimur *amo*, ut congruat cum *ego*, sed ut amandi actio ad loquentem personam referatur. In voce *amo* subjectum non est expressum, ut in imperativo etiam *ama.* Quum autem loquamur *ego (Cicero) amo, ego* ut subjectum urgetur. Sed si nos dicimus *ich liebe, I love*, hoc fit, quia revera nostra pronomina personalia ad elementa formalia sunt debilitata, ut mutilatos vocum exitus aut plane suppleant aut certe confirment. Quum vero accentu ea prae ceteris sententiae articulis urgeamus, fiunt subjecta ac voces materiales. Ac profecto copulativa verbi vis, quam vera flexio quidem eaque sola, quamvis ipsam copulandi actionem non designet, bene consequitur, in eo posita est, quod personarum relationes idoneo modo exprimuntur non appositis pronominibus, quae revera ipsae egeant copulatione, sed suffixis categoriarum personalium signis. Quae signa grammatica non magis cum radice copulentur necesse est, quam ii qui nomina formant aut casus denotant exitus. Quomodo autem praedicatum cum subjecto conjungi potest arctius ac fervidius, quam quum ipsum instruamus verbum signo, quo ad personam, ad quam pertineat, referatur? Quid desideratur, quum exempli gratia sola litera *t*, intime cum radice conjuncta, uno accentu eodem-

que temporis momento cum hac prolata, actionem vel statum ad personam vel rem, de qua sermo est, referamus? Quod vero omnes quae agglutinent linguae aut quae alio modo a vera flexione aberraverint, non adeptae sunt. Namque *ich liebend* vel *ich seiend liebend* veram nego esse enunciationem: deest enim copulatio. Itaque lingua Japonica, cujus verba personarum signis careant, quamvis cum iis ter vel quater alia verba abstracta ut *esse* et *facere* conjungat, ne simplicissimam quidem enunciationem vere formare potest. Itemque aliae permultae, quae personarum signis careant, multisque modis ea compensare conentur. Frustra.

At hic ad nostrum propositum non pertinet, varias persequi rationes, quibus linguae verba formare tentaverint, praesertim quum infra saepius de generalibus singularum linguarum proprietatibus, itaque de verbis etiam nonnulla afferamus necesse videatur.

Sed Copticum verbum brevi hic notetur oportet eo modo formari saepius, ut participium cum subjecto pronomine relativo conjungatur, e. g. ṄTʻOK ETʻ NATI tu dabis, proprie *tu qui daturus* pro regulari forma EKNATI vel KʻNATI; ṄTʻOF ET OI *is est* proprie *is qui ens* pro regulari FOI, itemque saepius. Ac quamvis hanc loquendi rationem non negem in principio adhibitam esse eo consilio, ut subjecto accedat vis quaedam ac pondus, tamen eam postea non semper quidem singularem significationem habuisse certum videtur. Sed etiamsi linguam Copticam generatim iis quae verba declinent linguis potius quam quae suffixa agglutinent annumerare malim, Aegyptiosque sicuti in imaginibus et simulacris rectam magis accuratamque membrorum descriptionem consequerentur quam formarum venustatem, ita in lingua creanda logicam linguae partem melius sensisse quam voce expressisse contendam, eosque mentis acumen minus quam sonorum bene separandorum et conjungendorum facultatem atque eam quam ex oratione suaviter sonanti capimus voluptatem defecisse censeam, tamen sonum ad mentem multum valuisse veri simillimum videtur. Quare factum est, ut suffixa cum radicibus non bene coalescerent, sed facile ab iis solverentur. Quum autem Coptorum animus multa in sermone pronomine rela-

tivo conjungere solitus esset, quin etiam verbum cum subjecto propter hujus vim ac pondus pronomine illo interdum copularetur, facile Aegyptii ad id induci potuerunt, ut relativo copulae partes attribuerent. Quae huc attulimus, ut demonstraremus, pronomine relativo ad simplicissimam usos esse formandam enunciationem. Quod tamen recte factum nemo existimabit. Nam praedicati cum subjecto copulatio arctior ac vividior esse debet, quam quae relativo, quod relationem magis quam conjunctionem exprimat, effici possit.

Videamus autem nunc jam, qua ratione amplificentur enunciationes. Nam sejuncto praedicato a subjecto vel verbo a nomine, complicata ipsius praedicati elementa distinguenda sunt. Ac potissimum exprimendum est objectum. Initio enim homines singulam actionem vel statum cum omnibus quibus definitur rebus comprehendunt atque una voce ut singularem actionem exprimunt. Nam eadem quum ab aliis aut alio modo fiat aut ad aliam referatur rem, alia illis videtur actio. Hinc ista in linguis non excultis verborum luxuria. Sinenses autem mirum non videtur, quamvis v. c. generalem amandi actionem variis vocibus exprimere possint, tamen speciatim etiam loquuntur: *aliquem ut patrem amare*, aut *ut pater*; quod tamen sola ea voce declarant, quae *patrem* valet. Nam lingua Sinica omnino partes orationis non discernit et neque habet substantiva neque verba, neque habere ea potest, quum omnino non habeat veras voces singulas, sed potius, ut demonstravimus, totas enunciationes verborum quae dicuntur primitivorum indutas forma. Quid autem collocatione vocum assequatur infra demonstrabimus. Hic quidem quum ad nos non attineat perquirere, quomodo variae linguae objecta designent, id notare sufficiat, veram enunciationis solam eam esse formam, qua et hujus salva sit unitas et voces etiam serventur. Nam ut ipsa sententia et quodcunque creat animus ita enunciatio, quippe quae sit sententiae forma ab animo creata, quidam sit quem dicunt organismus necesse est, quod ita intelligendum volo, ut enunciationis articuli tanquam corporis membra ita sint constituti, ut omnes quidem ad unum tendant, suo tamen quisque utatur jure. Neque dilabantur neque arctius comprimantur oportet; sed quot sunt ipsius

sententiae elementa, tot debent esse enunciationis membra, sua quidque ut ita dicam libertate gaudens ac tamen ita formatum atque circumscriptum, ut facile non sui ipsius causa sed ad certum quoddam corporis cujusdam constituendum membrum adesse cognoscatur. Quod profecto eae linguae consequi possunt solae, quae vera utuntur vocum declinatione; omnes aliae, quamvis plus minusve attingant, e fine excidunt.

Et omnes cognitum habent, quod Humboldtius exposuit (p. CLXXX.) linguae Sinicae plane contrariam esse Mexicanam. Quum enim Sinenses omnem verborum conjunctionem rejiciant, singulaque verba non satis enunciationis unitati subjiciant, Mexicani contra omnia sententiae elementa arctissime ad unum conjungunt verbum, singularumque vocum jus nimium negligunt. Qui ita loquuntur, ut subjectum, objectum et praedicatum: *ego carnem comedo* uno verbo ita exprimant *ni-naca-qua.* Eo autem mihi videntur hi errare, quod eas amplificationes, quae ipsam actionis naturam ac vim definiant, ut objectum, quod agitur aut actionem patitur, cum iis, quae ad grammaticam tantum actionis formam pertineant, ut tempus ac persona, ita confundunt, ut illas his arctius etiam verbo adhaerere opinari videantur.

Post hoc enunciationis amplificationum genus, quod ad verbum attinet et *dependentiae* categorias complectitur, aliud genus quod ad substantiva refertur et *inhaerentiae* continet rationes nunc latius consideremus. Quum autem eam quae inter praedicatum et subjectum est rationem appellamus *coincidentiam,* id apte dici posse mihi videtur, *ad coincidentiam* exprimendam valere suffixa *personalia,* ad *dependentiam demonstrativa,* (casuum exitus, praepositiones), ad *inhaerentiam relativa.**) Itaque demum ad proprium pervenimus consilium nostrum.

Ac primum quidem congruentiae rationis vim ac notionem definiamus. Vidimus homines, qui semper totam aliquam dicant sententiam, primum quidem una eam voce, eaque radice, expressisse, deinde autem quum animus et subtilius discernere et fortius comprehendere coepisset, hanc vocem

*) De nominativi vel subjecti signo vide excursum.

angustioribus circumscriptam finibus magisque determinatam ad unum solum sententiae elementum, subjectum, praedicatum denique objectum significandum constituisse. Simili modo, quum omnino mentis humanae sit discernenda discernere, quae denuo conjungat, ulteriores quoque, quos mens in lingua procreanda fecerat, progressus in nova positi erant et distinctione et conjunctione simul facta, ac proxime in eo cernuntur, quod quas cogitationes saepius tanquam subjectum et praedicatum una junxerat comprehensione, eas quamvis hac copulatione sublata arctius tamen denuo comprehensas tanquam unam sumsit cogitationem ad novamque cum aliis junxit sententiam constituendam. Itaque, ut grammatice dicamus, radix, quae totam describit actionis vel status imaginem, primum quidem in subjectum et praedicatum vel substantivum et verbum dilabitur, tum autem haec, sublata verbi copulatione, iterum arctissime ad unam cogitationem comprehenduntur atque ita exprimuntur, ut intime inter se cohaereant, ac praedicatum fiat *attributum*. Qua attributiva quam dicunt comprehensione restituitur prima illa imaginis unitas; attamen hanc, quum jam esset antea in elementa sua divisa a menteque subacta, hac restitutione magis etiam mentis potestati subjectam patet. Quamvis igitur nobis videatur facillimum dictu: *der gute Vater*, tanta tamen ad hoc requiritur animi in secernendo ac comprehendendo vis, ut nesciam an multas linguas rectissime contendam id re vera non consequutas.

Ac primum quidem lingua *Japonica* hic consideratione digna est, quae omne attributum tota enunciatione relativa circumscribere videatur. Nam haec lingua, minime Sinicae nec quod sciam cuiquam alii ex omnibus quotcunque docti viri hodie noverint linguis cognata, classem habet verborum, quae adjectiva verbalia nominant, quum qualitatem a rebus non abstractam sed cum existendi notione conjunctam significent, ut vox latina: *splendere*, nostrum *glänzen* fere idem est ac *splendidum esse*. Japonenses enim qualitatem alicui rei inhaerentem cogitabant. Quare quamquam verbo meram adjectivi stirpem ut adverbium addunt, tamen eandem, quum substantivo attribuant, suffixo *si* (8 m) vestiunt, quod significat *facere* et *esse*. Quare dicunt pro altus mons *takasi jama*

(9 a, 5 q, 8 m, 8 n, 5 d) quod proprie valet: *altus est mons.* Hanc enunciationem, ut Japonenses semper pronomen relativum, quo non gaudent, omittunt, Rodriguez judicat relativam, ut sit pro: *qui altus est, mons,* quo *altus mons* apte circumscribatur. Quem recte vituperat Humboldtius. Homines enim ait (Supplément à la grammaire Japonaise p. 3.) primum alicujus rei, quam vident, qualitate percussos exclamare: *est altus!* postea, ut loquantur dilucidius, addere: *mons!* Hoc tamen ingeniosius excogitatum, quam verius intellectum mihi videtur. Quare ab illo heroe hic dissentire liceat. Primum enim non video, cur, quum Japonenses non vera verba sed participia tantum habeant, cur non inquam omnis verbi forma attributi partes agere recte possit. Praeterea ipsum istud *si* additum minime certam formam verbalem, sed potius verbi format quod dicunt thema, quod in lingua Japonica persaepe, atque saepius etiam quam formae finitae adhibetur et cujusvis formae vice fungi potest. Itaque *takasi* (aut *takai,* quum *s* in loquendo supprimatur) *jama* minime significat *er ist hoch der Berg,* sed *der hochseiende Berg.*

Idem autem *si* non modo adjectivorum stirpibus sed omnibus aliis verborum radicibus addi potest, atque saepius quidem format verba causativa, saepe autem superfluum videtur, ut apud nos quoque vulgus loquitur *er thut gehen.* Habent autem Japonenses complura verba auxiliaria, quae cum radicibus conjungere solent, ut *ki, si, zu, ni,* aut complura simul *tarikeri, nitani, tarisi,* quae omnia *esse* et *facere* significant, sed non verbi formas fingunt finitas, sed ipsa sunt participia. Quod videntur Japonenses fecisse sensu quodam pulsi obscuro ad verba exprimenda a nominibusque, quae meris stirpibus denotantur, distinguenda. Sed praeterquam quod debilis est mentis categorias significantibus exprimere vocibus, in eo lapsi sunt Japanenses, ut apud nos etiam multi grammatici (praecipue Becker), quod verbi naturam in significanda actione ponebant. Quam ob rem vera verba, in quibus eximia illa mentis synthesis vel copulatio maxime regnat, creare non potuerunt, adjectiva vero, quae quidem actionem et statum significent sicuti verba, ut verba tractaverunt.

Sed distinguunt quodammodo Japonenses attributa a prae-

dicatis collocatione et dicunt: *takai jama* altus mons, sed *jama takai* mons est altus. Sed talia surrogata atque extrinsecus petita nunquam sufficiunt, ac quicunque populi verba a nominibus non secernant acerrime, neque praedicatum neque attributum apte exprimere sunt judicandi. Quod de lingua Sinica, omnium istarum linguarum, ut viri docti consentiunt, subtilissima, explicare hic volumus.

Nam legimus in grammaticis vocum in enunciatione Sinica ordinem esse eum, ut subjectum in capite ponatur, tum sequatur verbum, objectum post verbum ponatur, attributum ante subjectum. Qui ordo quam sit aptus nemo est quin videat, ac re vera videntur vocum relationes subtilissime distinctae. Ac praecipue id laudandum videtur quod bene Sinenses cognoverunt vel senserunt, aliud quiddam esse, quum nomen attributo definiatur ac quum verbum accipiat objectum. In quo lingua Barmanica Sinicae est posthabenda (cf. H. Einleitung p. CCCLXXVIII.). Lingua Annamitica quoque subtilitatem Sinicam non attingit. Quum enim genitivum post nomen, ad quod referatur, ponat sicuti objectum post verbum, nominibus etiam vim, quam dicunt grammatici, regendi attribuit, quae solius verbi sit propria; quumque adjectivum semper sequatur nomen, attributum a praedicato distinguere non potest. Itaque *ʿceò t'uièn* verti potest *remigare cymbam* et *remus cymbae*; *nüi kao* est *altus mons* et *mons altus* (*kao* est Sinicum [1 a]).

Attamen quum rem ad vivum resecemus, ut debemus, si quidem eam penitus perspicere volumus, Sinica etiam lingua verborum collocatione praedicatum et attributum non distinguit, atque omnino collocatione *grammaticas* categorias exprimi posse, aut a Sinensibus quaesitas negandum puto. Nam si categorias revera vocum ordine exprimere intenderent, hunc nunquam ac nullo modo immutare possent. Quod tamen fit ob rhetoricas et rhythmicas causas in antiquissimis etiam libris, qui fere omni carent particula et nihil habent quo vocum rationem denotare possint nisi collocatione. Num igitur nos oratoribus et poetis concedere possumus, ut subjectum et objectum vel alia gravissima sententiae elementa confundant?

Tsching Morr. 1055 to aid. Ifoh 04/a veneravi

Obliviscamur autem aliquantulum nostrae loquendi rationis, nostrarumque verborum formarum, atque consideremus aliquam enunciationem Sinicam: ʿ*cīng* *ti* *juĕ* (1 b, c, d) venerabilis imperator dixit. Quod, etiamsi verba non tam premimus, sicut supra fecimus, ut omnis vox sit sententia, duas continere existimandum est sententias, non modo cogitatas sed prolatas. Nam proprie est vertendum: venerabilis (est) imperator (et) dixit. Eo autem, quod vox ʿ*cīng venerari, venerabilis, venerabilem esse*, ante subjectum ponitur, symbolice exprimitur, hanc vocem cum subjecto prius esse comprehendendam, quam sequentem. Attributo verum non id exprimitur, aliquam cogitationem cum subjecto prius esse conjungendam quam aliam, non expressa ipsius conjunctionis quadam diversitate; sed potius attributo, ut demonstravimus, declaratur: qualitas antea cum subjecto fortiter copulata, tum ab eo soluta, sed iterum fortissime ad unam notionem cum illo comprehensa. Hanc attributi vim Sinenses non sentiebant. Ac quamvis communiter quidem, posterioribus praecipue temporibus inde a Confucio, certa constet regula, voces ante nomina positas, quum in nostros vertantur sermones, tanquam attributa esse accipiendas, tamen in Sinarum animo attributa a praedicatis non ita acriter distincta esse ex eo verisimillimum mihi videtur: quod *primum* in antiquissimis libris subjectum saepius inter duo praedicata, quae ad id referuntur et particula „*et*" sunt conjungenda, positum invenimus, ut solet inter attributum et praedicatum; *deinde* autem quod praedicativa ratio ipsa, quum nomina a verbis non satis discernantur, a Sinensibus tanquam attributiva accepta videtur, et *denique* quod id potius discrimen solum, quod inter *attributum* et *objectum* intercedat, pressum esse ac mira subtilitate verborum positione significatum videtur censendum. Quae tria deinceps nobis demonstranda erunt.

At de secundo primum loqui aptum videtur. Subjectum ante praedicatum et attributum ante subjectum poni jam diximus. Quare *ti juĕ* (1 c, d) significare potest: *imperator dixit* et *imperatoris verbum*. Atque equidem, quomodo haec duo a Sinensibus inter se distingui possint, nescio. Nam si interjecto ʿ*cī* (1 e) pronomine dicere volumus *ti* ʿ*cī juĕ*, nihil mu-

tatur, quum 'cī et genitivi et subjecti signum esse possit. Quum autem re vera *imperatoris verbum* (sc. est *hoc*) et *imperator dixit* (sc. *hoc*) omnino idem valeant et grammatica tantum forma sint distincta, Sinenses has formas ignorare et inter se confundere videntur existimandi. 'Cung Jung XII, 2. *fū fù 'cī jù k'ō* <u>*ì*</u> *jù 'cí* (1 f, g, e, h, i, k, l, m) *virorum (et) feminarum rudes (etiam) possunt accedere ad scientiam* etiam ita verti potest: *viri et feminae (etiamsi sunt) rudes, possunt* etc. vel *viri et feminae sunt rudes; (tamen) possunt* etc. Aliud afferamus exemplum: *kiūn-cỳ 'cī* <u>*tĕ*</u> *fūng, siaò 'fīn 'cī tĕ c'aò* (1 n, o, e, p, q, r, s, e, p, t) principum virtus (est) ventus, inferiorum hominum virtus (est) herba. Sed quum 'cī, quod tanquam genitivi vel attributi signum accepimus, nominativum vel subjectum etiam denotare possit, *tĕ* vero quod tanquam nomen interpretati sumus, adjectivum et verbum etiam esse possit, non minus recte videtur si ita vertimus: principes (si sunt) virtute-praediti: (ea est) ventus; inferiores homines (si sunt) virtute-praediti, (ea est) herba. Aliud exemplum: *pĕ jù 'cī pĕ jè, jeū pĕ siuĕ cī pĕ jù* (1 u, v, e, u, x, y, u, z, e, u, l), quod vertere possumus: *albae pennae albedo quidem, num sicuti albae nivis albedo?* vel *estne alba penna alba sicuti alba nix est alba.* — *kiūn cỳ 'sín k'ī t'ŭ* (1 n, o, 2 a, b, c) *princeps vigilat pro se solo* et *principis vigilantia (est) pro se solo.* — *'sáng haó 'sèn* (2 d, 8 r, 2 f) = *superior amat virtutem* verti potest *superioris amor est virtus* vel *in virtute* vel *superiori amatum est virtus, des Obern Geliebtes ist die Tugend.* Ex quo apparebit, Sinensibus subjectum verbi visum esse definitionem sicuti objectum, quamvis huic oppositam; et videntur Sinenses hanc verbi definitionem subjecto effectam ita plane percepisse, ut genitivum, qui nomen determinat. Quare semper subjectum genitivo vertere possumus, et verbum infinitivo vel nomine. In collocandis autem vocibus, ut nunc demonstrabimus, ita egerunt, ut vocem quae duabus aliis definiatur, cum iisque comprehendenda sit aut ad eas referenda, inter has in medio ponerent, sed ipsam hujus definitionis vel comprehensionis naturam et rationem, vel certam aliquam categoriam in principio quidem non denotarent.

Nam, ac venimus nunc ad primam causam nostram, in libro Schi king (II, 4. od. 8. v. 11) inveni particulam *sūi* (2 g) = *quamvis* inter duo verba, ad quae referatur: *ćiēn suī fŏ* (2 h — 2 i) *quamvis* (piscis) *sese demergat* (et) *delitescat*, vel si vis, *demergendo delitescat*; *sūi* ad duo verba pertinet et interjicitur. In his vocibus: *'sí ziāng k'iú* (2 k, l, m), *discedere volo et relinquere* (S. k. I, 9, 7) *ziāng* ad *'sí* et *k'iú* pertinet et proprie est iterandum. Hic quoque, si vis, *'sí* tanquam adverbium accipi potest *discedendo*. In hoc exemplo *kūng siēn wāng* (2 n, o, p) (S. k. II, 1, 6, 4.) *principes mortui (et) reges*, *siēn* = *prior*, *avus*, *mortuus* pari modo ad *kūng* = *principes* et *wāng* = *reges* est referendum, ac minime est ita interpretandum, quemadmodum grammaticorum leges postulant: *principes vel principum mortui fiunt reges*. — Itaque et particulas et attributum, quum iterare deberent, Sinenses interjecerunt. Addamus autem duo exempla, in quibus subjectum eodem modo tractatur. S. k. I, 6, 5. legitur *hàn k'ī kān* (2 q, b, r) *exaruit is* (sc. flos) (et) *exustus est*; in quo subjectum *k'ī is* pertinet ad ambo praedicata. Quod interpretationem nostram vocum: *'cing tí juĕ*, quod supra vertimus: *venerabilis est imperator* (et) *dixit* omnino confirmare videtur. Sed quum Sinenses, ut vidimus, praedicatum et attributum proprie non distinguant, optimo jure et hoc interpretari possumus ita: *venerabilis imperator dixit*, vel *venerabile imperatoris verbum;* vel gerundio: *ehrwürdig seiend sprach* et illud: *aridus is* (flos) *exustus est*, vel *arescendo exustus est*. — In eodem carmine legimus *kái k'ī t'án* (2 s, b, t), quod ex ore Schottii, praeceptoris mei d. a. c., ita versum audivi: *magnus* (est) *ejus gemitus*; *kái* enim significat hominis valde suspirantis sonum. Schottius igitur *kái* ut praedicatum accepit, ut proprie vertendum esset, *vehemens-suspiratio* (est) *ejus gemitus*. Quod valde probandum est, quum saepissime praedicatum ante subjectum inveniamus positum. Sed recte etiam Lacharme, qui sicut supra interpositum *k'ī* ut subjectum accepimus, hic quoque vertit: *suspirat heu! suspirat*. Rectius etiam ita fortasse interpretemur, quemadmodum paraphrasis Sinica vult, quae circumscribat hoc modo: *k'ī kái 'fen ŏrl t'án* (2 b, s, v, x, t) *ea suspirando gemit* vel proprie: *ea suspirat*

et ita gemit. Recte etiam, si vis, ita: *suspirans ea* (femina) *gemit.* Omnes has versiones approbo, quum verborum Sinicorum collocatione id tantum indicetur, vocem *k'ī* inter *kái* et *t'án* positum ad duo esse referendam. Sed id constat, si paraphrasis Sinicae interpretandi modum ad nostrum *'cīng tí juĕ* adhibemus, vertendum esse: *imperator est venerabilis itaque dixit*, itaque proprie duas habemus sententias atque ab hac parte attributum et praedicatum non sunt distincta, ab illa parte attributum et subjectum sunt confusa.

Sed tota enunciationis Sinicae constructio, qua accuratam et concinnam illam attingunt expressionem, in eo posita est, quod *attributum* et *objectum* vel *inhaerentiam* et *dependentiam* subtilissime acerrimeque distinguunt, quum illud ante verbum, hoc vero post id ponant. Itaque verbum, gravissimum sententiae elementum, inter attributum, ad quod secundum Sinensium sensum subjectum et adverbium pertinent, et inter objectum in medio consistit, duobusque definitur, quumque duo comprehendat atque ut ita dicam regat, firmam enunciationis efficit unitatem.

Grammaticas quidem categorias nostras Sinenses non sentiunt, grammaticum quod inter nomen est et verbum discrimen ignorant, sed *logicum* optime perspexerunt. Logica autem et grammatica categoria ita distinguuntur, ut illa in verborum *significatione,* quam habent in *sententia* vel *judicio*, versatur, haec vero vocum *formae* eorumque muneris, quo in *enunciatione* funguntur formanda, habet rationem. Logicum verbum a nomine ita discernitur, quod illud motionem quandam atque actionem, hoc aliquid quiescentis ut qualitatem et substantiam significat. Sed grammaticum verbum est id, quod praedicet, et nomen, quod praedicatione afficitur. Itaque valde caveamus, ne sejungamus quod ipsa lingua vel populi animus non distinguat. Audiamus autem vernaculos Sinensium grammaticos. Qui discrimen faciunt inter *síng cý* (2 y, z) = *verba vivida* vel *hŏ cý* (3 a, 2 z) = *verba mota* et inter *sỳ cý* (3 b, 2 z) = *verba mortua* vel *cíng cý* (3 c, 2 z) = *verba quiescentia.* Illa priora videntur quidem nostro verbo, haec posteriora nostro nomini plane correspondere. Sed *cupidus* e. g. apud nos nomen, apud Sinenses verbum *motum* vel *vi-*

vidum est. Nam: *Cicero cupidus gloriae* aut *Ciceronis cupido (est) gloriae*, *Cicero's Begierde (ist) nach Ruhm*, si logicum respicimus sententiae argumentum, idem dicit quod: *Cicero cupit gloriam.* Has duas enunciationes Sinenses non discernunt, quum grammaticum non habeant verbum et nomen. Quare verba quae dicunt *mota* ita intelligamus oportet, ut verba *objectiva* vel *transitiva* cum iis adjectivis et substantivis comprehendant, quae, tanquam participia et infinitiva horum verborum quae dicunt objectivorum, aliquod objectum accipere possunt. Sed verba quae dicuntur *subjectiva* vel *intransitiva*, quae nullo modo objectum habent, una cum plurimis nominibus appellantur verba *quiescentia* vel *mortua.* Itaque objectum est, cujus solius ratio est habita in distinguendis orationis partibus. Quare scholiastes Sinicus quum monere velit aliquam vocem esse vivam vel motam, adjicit huic voci pronomen 3ae personae tanquam objectum; v. g. quum *mīng* (3 d) significare possit *lucem*, *clarum*, *clareo* quae non distinguuntur, (*mīng* enim ea significans semper manet mortuum) et *illustrare*, scholiastes si dicere vult, *mīng* hanc postremam habere significationem motam ac vivam, dicit *mīng ʿcī*, *illustrare id.*

Quocum omnino convenit id, quod Sinenses vocum agunt positione. Qua id exprimere student, utrum vox aliam quatenus quiescentem an quoad motam definiat. Aut, ut idem aliis dicam verbis, id denotant, utrum *qualitas* alicujus cogitationis an ejus *motio* vel *relatio* circumscribatur. Verborum igitur ordine Sinenses *inhaerentiae* quam diximus rationes (ad quas subjecti vel *coincidentiae* etiam rationem referunt) et *dependentiae* acerrime distinguunt. Itaque quum attributum in lingua Sinica sit prorsus aliud quiddam, quam apud nos, objectum etiam, quippe quod attributo opponatur, aliter est intelligendum. Atque enunciatio Sinica re vera neque subjectum neque praedicatum continet. Sed Sinenses ita sententias enunciant, ut aliquam actionem vel statum proponant, accuratioremque ejus definitionem, qualitatem et relationem, addant ita, ut haec sequatur, illa antecedat. Itaque praedicatum Sinicum revera est quasi enunciationis subjectum, de quo praedicatur, vel potius quod definitur. Quod mirum vi-

voces esse, quas dicunt *vacuas* (*hiü cý*), propria ac principali hujus verbi significatione, ita ut interjectiones sint inter voces interpositae, nescio an rectissime contendam. Nam, ut Humboldtius praeclare de *'cī* demonstravit, illas etiam contendo eas agere partes, ut animos audientium ad vocum constructionem recte percipiendam dirigant. Monent igitur, vocum conjunctionem illic aliter esse conficiendam atque antea, enunciationisque tenorem incidi. Nostrae praepositiones et casuum exitus mentem ad certam constructionis viam ac rationem regunt. Sed Sinarum interjectiones vocum cursum quidem deflecti enunciant, sed quemadmodum inflectatur non item. Itaque *juĕ c'īn* (3 s, t) = *laetitia-afficere cognatos* non est diversum a *juĕ jū c'īn* (3 k); *jū* autem monet, ne vertamus: *laetitia et cognati,* nec: *laetitia-affecti cognati;* sed subordinationis ut dicunt esse inter haec verba rationem. Itaque *jū* nihil significat et vocum collocationi est auxilio, ac lingua Sinica quum ea similibusque vocibus utatur, omnino sibi constat nullamque circumscribit categoriam. Quare, quum hae voces proprie nihil significent, mirari non possumus, eas contraria denotare posse, accusativum nostrum et dativum et ablativum, brevi omne objectum. Itaque *jū* (3 k) significat *accusativum, ex, in* (Endlich. p. 207. 213.), *hū* (3 m) valet *ex ad, in* (218. 215.). Nam re vera *jū, hū* neque *ex,* neque *in* significant; sed v. g. vox *sīn cor* (3 u) positione aliquando *in corde* valet, sive *jū* adveniat, sive omittatur; quodsi *jū* apponitur, non id est, quod locativam efficiat significationem, sed sola potius positio; monet autem *jū*, ut positionis ratio habeatur. Clamitant Sinae his interjectionibus eos qui audiant, ut constructionem vocum bene considerent. Quare eas *interjectiones grammaticales* nominem, in quibus *particulas finales* etiam numero. Sed mirum videri non potest, quod saepius aliarum etiam interjectionum, quae nostris respondent et gaudium, tristitiam, alios sensus significant, agunt partes. Nam ex his ortae sunt, ac praepositio *hū* (3 m) re vera est idem quod interjectio *hū*, quae eodem signo scribitur, et *jū* (1 l) et *jū* (3k) sunt verae interjectiones. Quodsi *jū* (1 l) *dare* significat (quod, quum *jū* sit *dativi* signum, cum nostro hujus casus nomine bene congruere dicunt) et *jū* (3 k) locativi signum etiam

habitare denotet: hoc nihil demonstrat, nisi Sinenses in scribendis his vocibus aut falsa ductos esse etymologia, aut melioris cognitionis participes, tamen signo quidem analogiam quandam denotare voluisse. Atque hac quoque re confirmatum videas, linguae Sinicae naturam esse vocativam, ut supra jam diximus. Sed relinquamus has dependentiae particulas. Inhaerentiae rationes aggrediamur, in quibus pronomen relativum valet.

Quum vero primum hic nobis occurrat pronomen relativum, edicamus necesse videtur, pronomen relativum nobis videri id, quod quandam vocum. relationem denotet, etiamsi prima et ut ita dicam etymologica ejus significatione sit demonstrativum vel indefinitum. Atque cum iis consentimus, qui nullam fortasse linguam contendant proprium habere relativum, sed hoc pronomen semper usu ac positione ex aliis pronominibus formari. Itaque re vera eas etiam voces, quae dependentiae denotent relationem, ut casuum exitus et praepositiones, relativas nominare possumus. Attamen quum plurimae linguae has a pronomine relativo sejungant, easque jure justeque majore instruunt comprehendendi ac referendi vi, ita ut voces iis relatae magis verbo subjiciantur, ad quod referantur, quam eae, quae pronomine relativo conjungantur, quia logica etiam inter verbum et objectum relatio arctior est quam inter attributum et eam cui attribuitur vocem: nos quoque praepositiones et quaecunque voces dependentiam enuncient ex hac nostra disquisitione excludimus, et de inhaerentia tantum, ut jam supra diximus, quaestio erit, nisi ipsa aliqua lingua has duas relationes confundit, duasque eodem denotat signo, quod in Coptica quidem lingua inveniri dictum est. Sed jam ad Sinicam redeamus.

Quum inhaerentiae rationes sint tres vel apud Sinenses certe quattuor, adjectivi, nominis in genitivi casu positi, adverbii, subjecti, primum est notandum, vocem *ʻcī* (1 e) omnes posse denotare. Nam *ʻcī* re vera est pronomen demonstrativum ac proprie nullam exprimit categoriam. Sed quod verborum dispositio plane efficere non potest, *ʻcī* perficit, quum eum, qui audiat aut legat, moneat, ut voces quae antecesserint, ad unum comprehendat cum sequentibusque tanquam attributum conjungat; quum vero unam solam sequatur vocem,

id denotat, hanc unam per se esse attributum. Ipsam autem comprehendendi rationem proprie non dicit. Nam v. g. *t'iēn ʿcī míng* (3 v, 1 e, 3 x) interpretari possumus: *coelum praecipit* et *coeli praeceptum*. Plane autem idem valet *t'iēn míng* sine *ʿcī*. Quod *ʿcī* satis ex arbitrio pendere videtur: nam desideratur in obscurioribus locis, in facilioribus supervacaneum est. Id tantum constare videtur semper poni *ʿcī*, quum genitivus accipiatur a nomine, quod jam aliud habeat attributum, ut *t'iēn ʿcī mīng míng* (3 v, 1 e, 3 d, x), *coeli splendens lex*. (Prémare p. 154. Endlicher p. 202.) — Saepius *ʿcī* vocibus, quas sequitur, majus attribuit pondus, ut voce *quidem* et similibus verti possit. Quod plerumque invenitur, quum *ʿci* subjecta sequitur. Sed post adverbia etiam, ut *k'ùng ʿcī ciāng* (3 y, 1 e, 2 l) *valde quidem magnum*. (Shi k. II, 4, 8, 1). Post pronomen interrogativum, quod attributi agit partes in hoc exemplo: *ʿsúi ʿcī wŏ* (3 z, 1 e, 4 a) *quaenam*, vel *quae tandem domus?* Itaque *ʿcī* particula potius relativa e pronomine demonstrativo quam pronomen relativum factum est, quo verae enunciationes relativae formari possint; si quidem tales comprehensiones *hiān ʿsíng ʿcī kiūn* (4 b, c, 1 e, n) *sapiens (et) sanctus princeps* non habemus relativas, quas verti oporteat: *princeps, qui sapiens (et) sanctus est*. Sed ex contrario potius est censendum Sinenses sententias relativas simplicis attributi forma exprimere.

Examinemus autem nonnulla, quae Endlicherus dedit (p. 271.) exempla, in quibus *ʿcī* pronomen relativum esse docetur: *táo ʿcī pŭ hīng* (4 v, 1 e, 4 d, e) pp. *der Weg, welcher nicht betreten wird, (ich kenne ihn)*; sed vertendum existimo: *via quidem* (sc. recta) non initur (bene id scio); vel non minus recte: *des Weges Nichtbetretung*, vel magis ad verba: *der Weg nämlich, die Nichtbetretung (ich weiss sie)*. Nam *ʿcī* non proprium est genitivi signum. — Paullo ante legimus: *jeù fĕ hiŏ, hiŏ ʿcī fĕ nēng* (4 f, g, h, 1 e, 4 g, i), quod E. vertit: *es giebt (solche, die) nicht lernen (und jene) welche lernen können nicht*. Sed hic quoque *ʿcī* est nominativi signum, et vertimus: habemus (vel sunt) *non discentes* (*hiŏ* per se potest esse participium); *discentes quidem non exercent*. — *juàn ʿcī cĕ jeù wáng* (4 k, 1 e, 4 l, f, m), *welche fern sind*

werden hoffen. Sed vertendum videtur: *propinqui quidem habebunt spem*, vel, si vocem *cĕ* respicis: *propinqui quidem* (sunt); *itaque habebunt spem.* Quamquam *cĕ* saepius ita invenitur, ut tantum subjecto pondus quoddam attribuat (Schi king II, 4, 9, 5.). — Praeterea E. conferri vult 'C. J. II, 2., ubi legitur *kiūn cỳ 'cī 'cūng jûng* (1 n, o, e, 4 n, o) et paullo post *siāo 'fīn 'cī* (1 r, s, e), quod verisimiliter E. verti vult: *qui sapiens (est) in medio constat* *) et *qui inferior homo (est).* Sed vertimus: *sapiens quidem . . . inferior autem:* — p. 272 *'fīn 'cī ueī táo* (1 s, e, 4 p, v) *die Regel, welche Menschen machen.* Sed totam e libro 'Cung Jung XIII, 1. sumtam hic describamus sententiam necesse est: *taó pŭ juàn 'fīn; 'fīn 'cī ueī taó ōrl juàn 'fīn. pŭ k'ò ì ueī taó* (4 v, d, k, 1 s, s, e, 4 p, v, 2 x, 4 k, 1 s, 4 d, 1 i, k, 4 p, v). *Ratio (suprema das Vernunftprinzip) non aliena (ab) hominibus; homines quidem faciunt (suo arbitrio) legem, itaque (haec) aliena (ab) hominibus; non potest haberi lex.* Itaque hic quoque *'cī*, ut semper, non est verum pronomen relativum, sed potius proprie demonstrativum, quod saepissime, quum vocum constructionem, attributum, genitivum et subjectum denotet, atque aliquando vocibus majus attribuat pondus, aut eas aliis opponat, positione sua fit relativum. Quum adverbium sit tanquam attributum verbi, mirum videri non potest, quod post hoc quoque invenitur. Eadem ratione legitur, post nomen in locativo aut alio quodam casu adverbiali in capite sententiae positum, ut Schi king III, 1, 1, 3. *'sí 'cī* (4 q, 1 e) . . . *per omnia tempora* etc. Immo invenitur *'cī* post nomina praepositionibus instructa, quae tanquam adverbia antecedunt verbum, ut mox exemplum afferemus. Participia, quum sint attributa, *'cī* accipere possunt, de quo plura infra. — An *'cī* inter verbum et objectum ponatur, dubito. Quod tamen videtur in his locis factum. Schi king II, 4, 8, 5. legitur: *sīn 'cī 'cān mīng* (4 r, 1 e, 4 s, t) *arcessunt somniorum interpretes.* Sed e Schottio v. d.

---

*) Quamquam easdem voces E., peccans contra legem, quam p. 270 dedit, 'cī tanquam subjectum *sequi* verbum intransitivum, ita vertit p. 359 *der Weise, welcher die rechte Mitte hält*, i. e. *in der rechten Mitte steht.*

audivi, *'ci* hic esse referendum ad subjectum indefinitum quod in verbo *sīn evocant* jaceat. At mihi quidem videtur, *'ci* hic esse interpretandum: *hos*, ut in *'cī cỳ* (1 e, o) *haec filia.* Quod parallelismo articuli antecedentis comprobatur *'cáo pì kú laò* (4 u, x, y, z), *evocánt illos senes.* Magis mirum videtur *'cī* inter verbum et objectum insertum in libro Schu king (II, *ù cỳ 'cī kō.* §. 9.) *jū hoāi 'cī peī* (8 u, 2 e, 1 e, 3 f) *ego in-corde-servo moestitiam* et in commentario 'Cu Hi ad Meng Cy I, 1, 3. *ái 'cī lì* (5 a, 1 e, 5 b), *amare rationem.* Sed aliter sese res habet, quum objectum quod dicunt indirectum, vel nomen cum praepositione tanquam adverbium antecedat verbum: nam tum *'cī* apte tanquam inhaerentiae signum (adverbiale) positum est; v. g. *'cēng jeū jù k'ieū 'cī wén* (5 c, 3 h, 1 l, 5 e, 1 e, 5 f), itaque de *Jeu et Kieu quaesivisti!* — Ex omnibus his id intelligi licet, *'cī* esse attributi signum, quemadmodum Sinenses attributum percipiant, ut sit objecto oppositum. Sed tantum abest, ut dicere possimus, attributivas comprehensiones illo *'ci* in enunciationes relativas mutari, ut potius contendendum sit, has illis quodammodo compensari. Quid est enim, quod prohibeat, quin illud *'ʃīn 'cī weī táo* (1 s, e, 4 p, v) *die Regel welche die Menschen machen* ita interpretemur, *hominum facta lex?* vel *ab hominibus facta lex?* Nam Sinenses veras enunciationes relativas formare non posse et alia quoque pronomina, quae relativa nominantur, re vera esse demonstrativa infra demonstrare conabimur. Hic enim simplicis enunciationis fines excedere nolim. Quare nonnulla tantum, quae in simplici enunciatione occurrunt, addam.

Apud recentiores Sinenses *tĭ* (5 g) plane eandem habet vim, quam apud veteres *'cī*, et fortasse illud huic est cognatum. Nam verisimile videtur, vocem *'cī* quum magis magisque in animo Sinensium vim demonstrativam amitteret et vox fieret formalis atque copulativa, sonum etiam debilitasse, vocalem corripuisse, consonantem palatalem in leviorem dentalem mutasse. Certius autem mihi videor opinari, quamvis sit difficillimum de primo Sinicarum vocum etymo ratam expromere sententiam, vocem *'cī* e *k'ī* (2 b) ortam esse. Quodsi rectum est, Tybeticum genitivi affixum *kji* huic Sinico *k'ī* esse cognatum, eam etiam servatam habemus for-

mam, quae in medio inter *k'ī* et *ʿcī* constat; atque ipsum Tybet. *kji* nunc quidem appellatur *ʿci*. Quam ob rem et *ʿcī* in omnibus casibus ut *k'ī* invenitur, et *k'ī* saepius, quum subjecti sit signum, vocis *ʿcī* partes agit; nunquam autem huic *k'ī*, quum valeat genitivum, *ejus*, apponitur *ʿcī*.

Aliud pronomen, quod relativum nominatur, est *'cè* (5 h). Sed hoc nihil aliud mihi videtur, quam *ʿcī* vocali amplificato, ut longinquiora demonstret, eodem modo, quo Copti PAI et PE distinguunt. Cujus *ʿcè* usus similis est illius *ʿcī*. Maxime autem *ʿcè* dicunt formare participia, ac post verbum ejusque objectum poni, ut enunciatio bene cadat et concludatur. Itaque saepius decem et plures voces ad unum enunciationis elementum conjungit. Quod convenit cum eo, quod *ʿcè* diximus longinquiora demonstrare. Sed vocem *ʿcè* aut *ʿcī* ullam formare sive verbi sive nominis formam omnino negandum puto, ut Sinenses ullam habere verborum formam nego. Quis est enim, quin videat, omnes formas, quae (Endlicher p. 296 seqq.) imperativus, prohibitivus, conditionalis, potentialis, optativus, aliisque modis nominentur, non esse nisi linguae Sinicae obtrusas, re vera autem unam esse radicis formam, quae sententiae contextu significationem in nostro magis quam in Sinensium animo mutat. *kí wén* (5 i, f) *quaesivi* minime est praeteriti forma; sed nihil nisi: *jam quaerere*. Personae vero et temporis et modi relatio e contextu est conjicienda. Sed grammaticae Sinicae, quas adhuc habemus, ad unum omnes sunt Europaeo-Sinicae, et non ut debent Sinico-Europaeae.

Participium igitur minime voce *ʿcè* (5 h) formatur; sed ut *wén quaerere*, cum *ki* (5 i) *jam* aut *sĭ* (5 k) *olim* conjunctum, contextu significationem praeteriti habet, quamvis minime praeteriti signum: eodem modo, quum radix verbi tanquam attributum cum pronomine *cè hic* aut *ʿcī hic* referatur, participii vel adjectivi accipit significationem; atque nos, ut e *kí* et *sĭ* intelleximus, *wēn* esse praeteritum, ita e *ʿcè* et *ʿcī* cognoscimus verbum antecedens ut participium esse accipiendum. e. c. *hoĕ laō sīn .... laō sīn ʿcè ʿc'i ʿſīn* (5 l, m, 3 u, 5 m, 3 u, 5 h, n, 1 s), *nonnulli laborant mente ..... laborantes mente hi regunt homines*. Ex quo exemplo id quo-

que optime apparet, quomodo Sinenses enunciationes relativas nostras, ut: *qui laborant* in comprehensiones attributivas mutent, ut loquantur demonstrative.

Inter ʿ*cī* et ʾ*cè* id praecipuum videtur discrimen, quod illud inhaerentiae rationem denotat ac quum verba antecedentia comprehendit tum ea comprehensa cum sequentibus conjungit; ʿ*cè* vero non conjungit, sed, quod producta vocali indicari videtur, antecedentia quidem comprehendit, sed a sequentibus magis separat, quam conjungit. Itaque ʿ*cè* categoriam non denotat, sed, sit venia verbo, substantialitatem ac personalitatem radicis antecedentis confirmat. V. g. (Endlicher p. 271.) *ắi* ʿ*ʃīn* ʿ*cè,* ʿ*ʃīn ắi* ʿ*cī* (5 a, 1 s, 5 h, 1 s, 5 a, 1 e) *wer die Menschen liebt, den lieben die Menschen,* proprie est: *amat homines, hic, homines amant eum*, vel: *amator hominum, homines amant eum,* vel ut saepius accusativus, qui majoris est momenti, in capite enunciationis ponitur, et post verbum voce ʿ*cī* suppletur, breviter: *amatorem hominum homines amant.* Itaque adjectiva in nomina mutat in quo maxime convenit cum Britannico *one,* v. g. *jŭ* (1 h) stupidus — ʿ*cè* (5 h) *stupidus homo*, a *stupid one.* Nomina autem in adjectiva mutat, praesertim quum nomen cum alia voce qua definitur conjunctum sit; in quo etiam vis ejus comprehendendi cernitur. *t̕iēn hiá* (3 v, 5 p) est *imperium Sinicum* sed — — ʿ*cè imperii homines, populus. lĭ pŭ cŭ* (5 q, 4 d, 5 t) = *vires non sufficiunt;* sed — — — ʿ*cè, viribus non sufficientibus praeditus;* eodemque modo ʿCung Jung 17, 5. *kó tá tĕ* ʿ*cè pĭ* ʿ*seú mīng* (4 y, 3 q, 1 p, 5 h, r, s, 3 x): itaque tanta virtute praeditus (ʿ*cè*) certe accepit imperium. Saepissime ʿ*cè* cum ʿ*cī* conjungitur, ut personalitatem magis etiam exprimat. *Hiŏ* (4 h) significat: studere, studium, literae, literatus; *hiŏ* ʿ*cè* est *studium, hoc* aut *studens, hic*; sed *hiŏ* ʿ*cĕ* ʿ*cī* est *studens ille hic;* ʿ*c̕īng* (5 u) ʿ*cè* est *perfectio*; ʿ*c̕īng* ʿ*cī* ʿ*cè* est *perfectus* (Prémare p. 157.). Demonstrativa autem vis pronominis ʿ*cè* propria ac re vera una praesertim ex talibus apparet sententiis, quales sunt ʿ*ʃīn* ʿ*cè* ʿ*ʃīn* (5 v, h, 1 s), *humanitas, haec (est) (verus) homo; ī* ʿ*cè ī* (5 x, h, y), *justitia haec (est) aequitas.* His ʿ*cī* et ʿ*cè* cognatum videtur pronomen demonstrativum, quo hodie utuntur Sinenses, *cé* (5 z) *hic*; haec tria autem, ut jam diximus,

e *k'ī* debilitatione orta. Quod si recte judicamus, fortasse in eo quoque non labimur, quum *k'ī* cum Sanscriti pronominis stirpe *k*, quae longe lateque est diffusa, comparemus. Quare Sinicum *'cè* etiam consentit cum Persico چه *'ce* et cum Coptico ϪΕ.

Eodem autem modo, quo Sinenses, Japonenses etiam et praedicatum ab attributo distinguunt, et pronomen relativum, quod non habent, enunciatione relativa in attributum mutata compensant. Ut igitur Sinenses dicunt *wĕ k'ò* ... (6 a, 1 i) *res potest*, sed pro: *res, quae potest*..., loquuntur *potens... res, k'ò ..'cī wĕ* (6 b, 1 e, s), quum *k'ò* praeponant et attributi signo *'cī* denotent; aut *lāi 'cī 'ſīn* (6 b, 1 e, s) *venit qui homo*, vel potius *veniens homo*: ita Japonenses dicunt *hitoga kita* (9 c, d, e, f, a) homo venit, sed *kita hito* homo qui venit, proprie *der gekommene Mensch*. Itemque Annamitae simplicissime pronomen relativum, quo careant, verborum constructione compensant. Dicunt: *nó làm viâc* ille facit opus (*viâc* mutatum videtur Sinicum *wĕ* [6 a]). Sed: *viâc nó làm, opus (ab) illo factum* vel *illius factum* pro: *opus, quod ille fecit.*

Argute vero Japonenses genitivum relativi: *cujus* supplent. Quum enim nos ab iis, quas habemus, rebus etiam haberi dicere apte possis, casus genitivus a pronomine in substantivum, a quo genitivus accipitur, transferri potest. Itaque pro: *homo, cujus os gravis* (qui lingua haesitans) dicunt Japonenses: *Kucino omosi hito, oris gravis homo ein der Zunge schwerer Mensch.*

Ad Sinicam linguam redeamus. Quae, quomodo genitivum relativi circumscribat, jam vidimus. Nam *lĭ pŭ cŭ 'cè* (5 q, 4 d, 5 t, h), quod supra interpretati sumus: *viribus non sufficientibus praeditus,* nostris linguis aptius vertitur: *cujus vires non sufficiunt.* Tertium denique relativum *sò* (6 h) etiam esse demonstrativum infra demonstrabimus. — Itaque lingua Sinica verum pronomen relativum non habet, sed particulas tantum relativas. Quomodo autem alias enunciationes nostras quas dicunt subordinatas, substantivas (vel subjectivas et objectivas) et adverbiales circumscribat, nunc videamus. Quod nemo dicet non ad nos pertinere. Nam omnis periodi constructio in pronomine relativo posita est, et omnes conjunctiones sunt

voces relativae *) vel correlativae. Quare qui ne enunciationem quidem quam dicunt adjectivam exprimere possunt, nunquam verborum assequuntur ambitum et circuitum. De quibus rebus nos commemoretur vix necesse est hic tantum ea parte dicturos, quatenus Sinenses eas, quae compositae sunt apud nos enunciationes, ad unam simplicem comprimunt. Nam adhuc semper intra simplicis enunciationis fines versamur.

Ac generatim dicendum est, Sinenses ut enunciationes adjectivas in participia vel alia attributa mutent, ita enunciationes substantivas in substantiva, adverbiales in nomina in casu quodam adverbiali posita transformare. Atque in illis quidem quod apud nos verbum vel praedicatum est apud Sinas fit quasi infinitivus vel nomen abstractum, et subjectum fit genitivus. Sed monendum est denuo, quod nunquam satis moneri potest, haec discrimina inter praedicatum et infinitivum, genitivum et subjectum in Sinensium animo esse neutiquam, sed a nobis, nostram linguam semper cum Sinica comparantibus, esse facta. Quare quum v. g. legamus Schi king II, 4, 8, 11. *nién kuŏ ʿcī neī niŏ* (6 i, k, 1 e, 4 p, 6 l), nihil differt utrum vertamus: *cogito, imperium est durum, ich denke, die Regierung ist hart;* an *cogito τὸ imperii esse durum, ich gedenke des Hartseins der Regierung.* Haec enim duo in Sinensium sensu sunt unum. Aut illud quod jam attulimus exemplum, ʿCung Jung IV, 1. *táo ʿcī pŭ hīng jè ȏ ʿcí ʿcī ī* (4 v, 1 c, 4 d, e, 1 x, 6 m, 1 m, e, 6 g). In quo dubito, utrum duae sint enunciationes an una; *jè* enim insertum et sententias et sententiarum membra separat. Vertamne: *via non initur; scio id;* an: *viae non initum (des Weges Nichtbetretung) scio?* Enunciationum fines hic non sunt certi omnibusque partibus definiti, sed est quid dubii atque incerti in iis, praecipue quum ne verbi quidem et enunciationis fines satis sint distincti, verbumque per se sit incerta materia sine forma.

Adverbiales autem enunciationes ita circumscribuntur, ut conjunctiones nostrae in logicam suam significationem solvan-

---

*) Quin etiam simplicissima conjunctio additiva: *et* in lingua Fennica quidem quum *ja* appelletur cum pronomine relativo *jo* et Sanscritum ʿ*ca* cum stirpe *ka*, et Semiticum ו *wĕ* cum suffixo 3ae personae ו *u, o,* cognatum videtur.

tur ac, prout sententiam introducant temporalem, causalem, nominibus ut: tempus, locus, causa, similibusque in casu adverbiali cogitatis vertantur, quae nomina verbum accipiant infinitivum, in genitivo positum. Dicunt igitur Sinenses et multi alii populi pro: *quum veni*, mutata hac enunciatione adverbiali in nomen in adverbiali casu positum: *mei veniendi tempore;* et pro: *quia veni* dicunt: *veniendi mei causa.* Atque utuntur Sinenses ad causales sententias exprimendas voce *ì* (1 k), quae proprie: *sumere, adhibere* significat, duplici modo. Nam aut in capite ponitur tanquam verbum, *sumens*, *adhibens* = *propter*, *ob*, ac tum verbum enunciationis pro accusativo infinitivi est accipiendum; aut *ì* est nomen in adverbiali casu = *usu*, ac tum in fine ponitur et verbum in genitivo infinitivi cogitatur, ut item fit, quum vox *kù* (4 y) adhibeatur; e. c. *jeù ʿcī ì* (4 f, 1 e, k) *quia exstant*, ad verba: *habendi id usu* vel *causa.* (Tao te king 11.) *ì wāng ʿcī ueī ’ŏ* (1 k, 2 p, 1 e, 4 p, 6 *n*), *adhibens* vel *propter regis esse malum, wegen des schlecht seins des Königs*, vel *propter τὸ*: *rex est malus* vel *quia rex.* — *ì t'iēn mīng ʿcī pŭ k'ò ʿc'āng* (1 k, 3 v, x, 1 e, 4 d, 1 i, 6 o), quia coeli mandatum non potest esse sempiternum, ad verba: *ob coeli mandati non posse sempiternum esse.* Sed eodem jure, quo simplicem comprehensionem *mīng k'ò* vertis: *mandatum potest,* eodem jure hic etiam vertas: *ob τὸ*: *c. mandatum non potest,* vel *quia non potest.* Itaque hic particulae *ì* usus plane convenit cum eo quo cum simplici nomine conjungitur modo, ad ablativum latinum circumscribendum. — *pŭ tù pŭ wén ʿcī tí* (4 d, 6 p, 4 d, 6 q, 1 e, 6 2) *ubi non videmur nec audimur*, ad verba: *non videndi (et) non audiendi locus.* Addamus unum exemplum e libro Schi-king (I, 15, 2.) sumtum *jŏ cỳ ʿcī mīn* (6 s, 1 o, e, 6 t) *per misericordiam quod proles alui*, ad verba: *alendi proles misericordiā,* vel: *τοῦ alui proles misericordia.* Sed jam satis de lingua Sinica. Alias linguas aggrediamur.

Quod specie quidem in Japonica, Annamitica et Sinica lingua fit, ut attributum enunciatione relativa exprimatur, quum potius haec in illud mutetur, re vera autem neque haec neque illud apte enuncietur: id in Coptica fit lingua, cui id est proprium, quod magis quam ulla alia lingua verborum con-

structionem demonstratione declarat ac relatione. Nam pronominis relativi apud Aegyptios valde multiplex est usus, quem primus copiosius atque subtilissime explicavit Schwartze, v. d. ac praeceptor mihi colendus in libro suo operoso: *das alte Egypten* II, 1390—1441.

Pronomen relativum in lingua Coptica est ĖTE, ET, (phon. ET^c) Ė. Sed Ṅ (phon. Ṁ) quoque, quamvis proprie pronomen indefinitum *ein*, cui est cognatum, saepissime vim habet relativam. Nam in iisdem locis, quum alios adhibeamus codd., aut alias dialectos, promiscue Ṅ et Ė legitur. Sed quemadmodum Copti pronomine demonstrativo P^cA, PA utebantur, ut haberet vim possessivam: *hic ejus*, ANOK P^cA PAULOS = ἐγὼ εἰμὶ Παύλου, *ego hic Pauli*, eodem modo, docet Schwartzius, pronomen Ṅ, EN cum relativa possessivam istam conjungere vim, ut sit: *qui ejus*. Itaque Ṅ, Ṁ, quamvis et genitivum et dativum et accusativum et nominativum et praepositiones, praesertim: *in* denotare videatur, tamen nihil exprimit, nisi possessionis statum; e. c. ψ 19, 2. NI P^cÄOYI SESAZ^cI Ṁ PŌ̤OY Ṁ P^cTI coeli narrant (id) quod honor (vel honoris) (hunc) qui dei = honorem dei. v. 3. PI EHOOY Z̅Ō̅ Ṅ OY SAZ^cI Ṁ PI EHOOY dies dicit quod orationis, quae diei = orationem diei. 18, 29. Z^cE ṄT^cOK, ET^cNATI Ṁ P^cOYŌINI Ṁ PAH^cÄBS nam tu (es) qui dabis (id) quod lucis (eam) quae mei candelabri = lucem candelabro. Ut genitivus vim habet attributivam, ita omnia attributa cum pronomine illo Ṅ conjunguntur. Sceptrum ferreum Coptice exprimitur OY ^cSBŌT Ṁ BENIPI sceptrum quod ferri. OY RŌMI Ṅ AT^cNOBI homo, qui sine-peccato, *ein Mensch welcher sündlos*. OY ^cSÄRI Ṁ MAYATF filius qui unicus, *ein einziger Sohn*. PI TŌOY ET^c OYAB mons, qui sanctus, *der heilige Berg*. Ut e substantivis adjectiva, ita substantiva ex adjectivis pronomine relativo formant Copti. PSOI^cNI Ṁ PET^c OYAB *der Rath des Heiligen*, proprie: consilium quod ejus qui sanctus. Praepositionum autem nostrarum vices supplet hoc Ṅ in his exemplis: Ṁ PAI MA *in hoc loco*, proprie: quod huic loco. ṄHÄTK *in te* propr. *quod corporis tui*. Tanquam nominativi signum Ṅ in praedicato post verbum substantivum invenitur: PNOYTE PET O Ṅ NAS^cTI deus, qui adjutor est; propr. deus is-qui est qui adjutor. FOI Ṁ

MELETÄ NÄI = est quod cura mihi. In quibus sententiis Ṅ, Ṁ quum principio sit pronom. indefin., verti etiam potest *ein, er ist eine Sorge mir.* Itaque Ṅ et OY *unus* in talibus sententiis sine discrimine alternant. OY NAÄT OYOH Ṅ REFSʻEN-HÄT PEPI̅ʻS *ein mitleidiger und ein* (Ṅ, vel *was*, *welcher*) *barmherziger ist der Herr.* Sed in plurali etiam invenitur NANOI Ṁ BO̅K PE fuimus quod (vel qui) servi. Quin etiam Ṅ saepissime juxta OY *unus* et HAN *uni* legitur: A PI̅ʻS ʻSO̅PE Ṅ OY MA M PʻO̅T dominus erat quod unum refugium. Quod Ṅ juxta OY positum in sensu Copticorum ad augendum tantum et cumulandum valuisse videtur, quum in dialecto Baschmurica duplicetur, ut fiat NN̅, quod cum simplici Ṅ alternatur, omnibusque hujus muneribus fungi potest. Quin etiam invenimus NN̅ OY, quod est *unum* ter iteratum.

Subjectum autem, quod loco suo non declaretur, quum et ante et post verbum ponatur, si illo Ṅ denotatum fuisset, facile cum accusativo confundi poterat. Quum vero objectum etiam verba, quae debilis sint formae, non interposito Ṅ sequeretur, subjectum aliquo signo denotetur nimirum necesse erat. Quod factum est voce ṄZʻE, quae constat ex isto Ṅ et ZʻE *hoc, sic,* e KE debilitato; e. c. EYZʻO̅ ṀMOS ZʻE FONHʻ ṄZʻE PEKSʻÄRI *dicentes id sic: vivit* (*qui sic* ṄZʻE) *tuus-filius.* Itaque inter Ṅ et ṄZʻE discrimen factum est arbitrio, quum proprie duo dicant idem. Hactenus Schwartzius.

Quae subtilissime explicata constantissimeque, nemo est quin videat. Quanta autem doctrina atque eruditione illius viri sententia sit munita, qui videre velit, ac quam aptissime comparaverit linguas Semiticas et Indo-europaeas, eum ut illum librum pervolvat rogo atque rogo. Nobis tamen nonnulla restant commonenda. Nam Schwartzius Coptis objecit, quod quamvis omnes notionum categorias et rationes in hanc unam possessionem revocassent, tamen ne hanc quidem forma denotare attigissent. Proprium enim genitivi signum ṄTE compositum esse ex illis duobus relativis, quae commemoravimus, Ṅ (propr. *unus*) et TE proprie demonstrativum *), quae

*) Itaque ETE, ET omnino congruere docet Schw. p. 1767 cum *αὐτή, αὐτό,* Sanscr. *iti, it.*

locis tantum suis hanc sibi arrogaverint vim relativam. Quare sicuti PSʻÀRI Ṁ PʻIŌT (p. 1684) proprie nihil aliud est ac: *filius qui pater*, quibus vocibus appositio (p. 1760) magis quam genitivus indicatur, ita PSʻÀRI ṄTE PʻIŌT etiam non est nisi: *filius unus hic pater*, pro *patris*. Ac plane item sese res habet, quum ṄTE dativum denotet: AYHOLMEF ṄTE PEPʻIŌT *rapuerunt-eum unum hunc pater*, pro: *patri*. Idemque in Semiticis quoque linguis esse exprobrat Schwartzius.

Quae accusatio tam dura mihi videtur, qua durior esse potest nulla. Nam quam debilis mentis atque hebetis ingenii sunt ii existimandi, qui, quamvis categoriae cujusdam necessitatem sentirent vehementissime, tamen illam exprimere non potuissent. Quod de Sinensibus dici non potest, quos categorias grammaticas non neglexisse sed repudiasse praeclare dixit Humboldtius. Ac cur tandem illa Ṅ, Ṁ, ṄTE quibus possessionis notio minime exprimatur? Si ṄTE PʻIŌT ita accipi potuit ab Aegyptiis ut esset: *unus hic patris*, cur non PSʻÀRI PʻIŌT eodem modo ab iis acceptum est, ut significaret: *filius patris?* Quidnam illa pronomina, quum id quod esset denotandum semper cogitatione supplendum remaneret? An ambiguitas iis impeditur? minime. Nam quum omnes casus et praepositiones eodem signo denotentur, re vera nihil denotatur. Itaque nomina, quae pronomina illa sequuntur, variis modis sunt accipienda (p. 1393.) et ut nominativi et ut genitivi. Atque licet concedamus, Coptos posteriores perversissime de lingua sua sensisse, num antiquissimi quoque illi pyramidarum aedificatores, et linguae ut ita dicam inventores, num, inquam, illi quoque melius ac rectius sensisse non sunt existimandi?

Quare equidem ne Aegyptiorum animos sermonisque proprietatem non satis perspexerim metuere malim, quam concedere, proximos Indo-europaeorum fratres, quorum cultura inter omnes orbis terrarum populos longe sit antiquissima, tam tardi fuisse ingenii, ut, quum prima assequuti non essent, ne in secundis tertiisque quidem, sed paene dixerim in ultimis constiterint. Nam Tatarorum etiam et Americanorum et Africanorum et quot populorum noverim linguas, omnes casus nostros aptius circumscribere possent, quam, si illa

Schwartzii accusatio justa esset, Copti et Semiti. — Praeterea quum id profecto verum sit, Coptos, qui omnes casus Ṅ denotarent, denotasse nullum: nos quoque, quum sententias Aegyptias ad verba vertamus in nostros sermones, casus omnino evitare debemus, ac ne supplere quidem quos Copti non suppleverint.. Quod Schwartzio non successisse mihi videtur, quum semper demonstrativa suppleat, quae in aliquo casu posita sint, plerumque in nominativo et accusativo, sed etiam in genitivo, ut p. 1398 AKER PŌBˁS ṀPˁTI (apud alios Ė PˁTI) *oblitus es dei*, quod Schw. ad verba verti vult: fecisti oblivionem (*ejus*) quod deus (vel quod dei). Sed quomodo *ejus* supplere possumus, quum Copti genitivum ignoraverint? Cur praeterea in talibus sententiis, ut NI KOYZˁI Ṅ ALŌOYI parvi pueri, *die kleinen, welche Knaben* TI HˁAE Ṅ TEBI ultimus obolus *der letzte welcher Obole* ante ALŌOYI et TEBI articulos indefinitos omiserint (HAN et OY), quum alias (p. 1407) Ṅ cum OY et HAN saepissime inutiliter etiam conjungere solerent, hic autem pluralem a singulari distinguere deberent, equidem non video. Maxime autem ut Schwartzio diffidamus id suadet, quod hic vir linguam Copticam nulla illius hieroglyphis traditae linguae habita ratione explicare sibi proposuit. Nam fingit, hanc adhuc esse ignotam ac quaerit, num Coptica lingua ad hieroglyphos interpretandos apta sit. Quod quamvis videatur laudandum, tamen posteriores dialectos non nisi antiquioribus comparatis vere perspici posse, nunc certe omnino constat.

Si igitur a Schwartzio dissentire mihi liceat, aliam hujus Ṅ explicationem paullulo diversam proponam. Atque in eo quidem maxima est difficultas, quum in Aegyptiorum animos insinuare velimus, ut penitus eos perspicere possimus, quod nostrorum casuum, sine quibus vix cogitare posse nobis videmur, plane obliviscamur necesse est. Itaque Ṅ et Ė *merae relationis* signa agnoscere debemus. Nam Copti ne eam quidem, quam Sinenses faciunt inter inhaerentiam et dependentiam distinctionem, qua hi magnam assequuntur sermonis subtilitatem ac perspicuitatem et multas nostrarum categoriarum apte compensant, nec voce expressisse, neque animo videntur sensisse. Ṅ et Ė igitur duarum notionum conjunctio-

nem vel relationem indicant; sed qualis haec sit, utrum possessiva an ablativa, accusativa an nominativa, nequaquam notatur. Quare hoc Ṅ cum linea mathematica, qua duo puncta conjungantur aut inter se referantur, apte comparari posse mihi videtur. Eo autem potissimum relationum varietates nec sensisse nec voce expressisse videntur Copti, quod phantasia omnino defecti erant. Itaque EYOI Ṅ HRE Ṅ NI HALATI (p. 1396) *sunt cibus avium* non vertam: *sie sind was Speise welche der Vögel*, ita ut primum Ṅ cum nominativo, secundum cum genitivo jungatur, quae duo non sint expressa. Sed potius Ṅ est exponens indefinitae relationis cujusdam, quae inter notiones EYOI *sunt* et HRE *cibus* una parte, atque inter HRE et NI HALATI *aves* altera parte intercedit. Quare quum dicamus: *sunt cibus avium*, idem exprimimus, quod Aegyptii, si reale vel materiale sententiae argumentum respicimus, in animo quidem habuerunt, sed tam vivide non effinxerunt cogitatione, nec tam acriter mente distinxerunt, ut certis exprimerent vocibus. Singulares sunt relationum distinctiones, quas nos addimus. Nam non modo exprimimus referri inter se *sunt* et *cibus*, atque *cibus* et *avium*, sed distincte declaramus, *cibus* ad *aves* pertinere, ab iis possideri ac praedicatum esse.

Fortasse autem linguarum Indo-europaearum historia docebit, omnes, ut de nonnullis quidem jam constet, casuum exitus nihil esse nisi pronomina, ita ut nostris etiam casibus proprie minime certe quaedam ac distincta vocum vel notionum ratio, sed ut Coptico Ṅ, Ė, aliqua indefinita tantum relatio exprimatur. Quod si verum est, qua tandem re, quis quaerat, linguae illae quas tam praedicant Copticae praestant? Num eo, quod compluribus gaudent pronominibus, quae relationem indicent, illa autem uno tantum, aut duobus, aut tribus (Ṅ, Ė, ṄTE)? Sed facile quis Copticam simplicitatem difficilibus contortisque casibus, parvulis articulis, qui proprie significent idem omnes atque nihil aliud ac Ṅ aut Ė, putet antehabendam.

Verum autem vero hic apparere mihi videtur linguae organismum multo minus esse naturae quam mentis atque animi. Nam mihi quidem persuasissimum est, genitivi nostri

exitum sono nihil continere genitivi, nec dativi exitum quidquam habere in sono, quod veram dativi naturam exprimat. Categoria enim sono proprie exprimi non potest. Mentis vero est vis, quae huic suffixo significationem attribuat genitivam, idque facit ea re eoque tempore, quum alii suffixo, quamvis ejus sono nihil sit expressum, vim impertit dativam sua ipsius summa potestate atque arbitrio. Tenet enim animus sonorum, quem ipse creavit, imperium nullis cancellis circumscriptum, quo iis quod minime insit impertit. Ex quo animi imperio solo id quoque pendet, utrum lingua ratione vero organismo apta flectat verba, an alias ineat vias, easque semper falsas. Nam recta via semper est una, falsae sunt innumerabiles. Non imperantis autem animi est, categorias, quae plane mentis sint propriae, ac minime ex naturalium rerum medio repetitae, proprie ac verbis, quae quid sensibus perceptum significent, exprimere. Talis enim animus, quum sui ipsius non satis sit compos, timet ne se ipsum amittat, quumque sonis sese munire conetur, inertiae atque tarditati suae praebet adjumentum, quo in sonorum redigatur servitutem. Sed hic id tantum monere voluimus, animum eam habere potestatem, ut categorias, quae nullo modo quacunque materia, quae sensibus percipiatur, vere exprimi possint, certe symbolice quodammodo atque ex arbitrio denotare potest et debet. Lingua Coptica autem inter eas, quae veram viam invenerint et istas quae ab ea aberraverint est media. Nam quum Aegyptii non in eum inciderent errorem atque animi servitutem, ut categorias significanter circumscribere studerent, sed potius pronomina, quae valore et sono sint aptissima, ad vocum formas effingendas eligerent, id tamen assequi non poterant, eaque non gaudebant animi vi ac potestate, ut varias casuum partes variis relativis imponerent. Quod solis linguis contigit Indo-Europaeis. Nam Fennicam etiam linguam veram declinationem magis prae se ferre, quam vere adhibere alio loco demonstrabitur. In eo autem maxime organica linguae vis ac natura cernitur, quod in singulis quibusvis ejus partibus creandis omnium ceterarum habita est ratio, ita ut omnes pari animo quodammodo sint inflatae et totus linguae quasi mundus uno primo ortus sit verbo ingenioso. Quare non

genitivus aut nominativus solus, sed omnes casus simul ut omnes verbi formae uno eodemque temporis momento eademque animi vi atque creatione sunt creati. Aegyptii vero nullum creaverunt casum, sed generalem tantum, quae casibus efficitur, relationem denotant.

At sic etiam fortasse Coptis injuriam facimus; nam in antiqua hieroglyphorum lingua illud N minime tam frequenter invenitur quam in Coptica. Immo genitivus nullo denotetur signo; v. g. *smāk tu h^esiri* justificas verbum Osiridis. (Lepsius Todtenbuch c. 18. a.; alia exempla apud Champollion grammaire Egyptienne p. 191.). Saepius autem, ut in Coptica lingua, invenitur *^en* et *^ent.* Sed haec relativa minime, ut Schw. vult, vi possessiva sunt praedita. Nam ipsum demonstrativum PA, quod dem. possess. nominant et recte „*hic ejus*“, vel „*hic, qui pertinet ad*“ vertunt, in hieroglyphis genitivi signo jungitur. Compares igitur: PA PAYLOS *hic Pauli* cum hier. *p^enti nēb* hic qui dominus = hic domini = qui pertinet ad Paulum, ad dominum. *ā n^eha taint^e natfe*, o sycomore haec quae Natfe i. e. sycomore haec (deae) Natfes. (Champ. p. 306.) Ex his formis Copticum demonstrativum possessivum est curtatum. Itaque saepissime Ṅ nullo modo cum genitivo jungi potest, ut jam saepius vidimus, praecipue quum relativo Ṅ adjectivum ad nomen referatur; v. g. OY RŌMI Ṅ OZ̄I quod vertit Schw. (p. 1393) *ein Mensch welcher Betrug* (i. e. qui fraudis sc. est). Sed quum Matth. V, 45 legamus NI OZ̄I *fraudulenti* (homines), OZ̄I est adjectivum et vertere debemus: *homo fraudulentus.* Ṅ autem latinae syllabae *us* partes agit, quoad ambobus attributum ad subjectum refertur. Quum autem omnes stirpes verae sint radices, quae quum nihil definiti habeant, omnia esse possint, Ṅ adhiberi necesse erat ad adjectiva indicanda. Attamen Ṅ per sonorum Aegyptiorum proprietatem non vere cum stirpe coaluit, quare et ante adjectivum, quod nomen sequatur, et post id ponitur quod nomen antecedat. Quare dicunt OY RŌMI Ṅ OZ̄I *homo fraudulentus* et OY NIS̄TI Ṅ OYŌINI (secundum Schw. *ein Grosses welches Licht*) *magna lux*, HAN NIS̄TI Ṁ MÄS̄ (Schw. *grosse welche der Haufen*, aut *grosse welche Haufen*) magnae turbae. In hac nostra explicatione duplex articulus non desi-

deratur, sed unus, qui ante attributum positus est, sufficiebat et repeti non debebat, quum relativo Ṅ cum ipso attributo ad subjectum referretur. Itaque HLI Ṅ RŌMI non est *Jemand der Menschen*, vel *Jemand welcher der Menschen*; sed: *aliquis homo*. TEXOYSIA Ṅ OYŌM non est *potestas quae edere* aut *quae edendi*, sed *potestas edendi*. TETNSOOYN NTI non est: *scitis (id) quod dandi;* sed *ihr wisst zu geben*. Ac re vera ut nostra *in*, *zu* et multae praepositiones in linguis Indo-europaeis principio sunt pronomina, ita Ṅ quoque apud Aegyptios facile eam sibi arrogare potuit vim, ut rem in aliam vergentem exprimeret; quocum congruit, quod notiones alias in alias vergentes indicat, omnino ut nostrum *zu*. Atque verum si aliquo modo sentire volumus multifarium illius Ṅ in casibus usum recordemur harum vernacularum comprehensionum: *es macht mir Vergnügen zu spielen*, *die Kunst zu spielen*, *gut zu gebrauchen*, *ich liebe zu spielen*, in quibus *zu* nomin. gen. dat. et acc. denotat. — Sed aliam eamque arctiorem inter pronomen relat. Ṅ et praepos. Ṅ quam inter nostras praepositiones et pronomina intercidere rationem negem; et praepos. Ṅ, et id Ṅ quod dativi et accusativi signum, proprie autem eadem praepositio est, pronominibus verti potest minime. Nam etiamsi est e pronomine ortum, tamen praepositio factum est. Praeterea notandum videtur, in lingua hieroglyphica praeter id Ṅ, quod casus indicet, inveniri praepositionem *h^em* et abjecto spiritu *^em*, quod minime ex Ṅ euphonice ortum est; nam ante omnes consonantes non solum labiales invenitur. Hoc *^em* a Coptis debilitatum *^en* (Ṅ) factum ac cum illa priore praep. *^en*, quae in hieroglyphis etiam invenitur, confusum videtur. Quodsi hoc *^en*, quod in hierogl. dativum denotat, in Coptica lingua dat. et acc. (acc. in hier. non habet signum) ex pronomine ortum sed pronomen non esse puto, illud *h^em*, *^em*, et quod in Copt. lingua ex eo factum videtur *^en* ex pron. ortum esse dicere non possum. — Ac plane simili modo sese res habet, quum praep. Ė consideremus, quam Schw. nihil aliud esse statuit, nisi pron. rel. E, ita ut Ė ZŌ *in capite* vertit: *quod capiti*. Sed nullus est expressus dativus. Ė autem e praepositione hieroglyphica *er* est mutilatum. Saepe enim Copti *r* finale abjecerunt, ut

h°r dies HOOY; *ht°r* equus HTO. *er* vero num pronomini alicui cognatum sit, nescio.

Itaque relativum Ṅ et Ė in attributivis tantum comprehensionibus adhibita sunt; alias Ṅ et Ė sunt verae praepositiones. Sed fortasse quispiam dixerit, genitivi signum Ṅ idem esse praepositionem, *de, ex, ab.* Quod verisimilius fit, quum consideremus, scripta esse hieroglyphis talia: *b°rri °m nub* currus ex auro, Copt. BREHI Ṅ NOYB, quod Hebraei statu constructo vertunt: מִרְכֶּבֶת זָהָב currus auri. At genitivum re vera pronomine describi, miro modo hieroglyphis confirmatur. Lepsius enim, v. d. a. c., cujus studiis hieroglyphorum cognitio maximae sane literarum saluti in Germaniam migravit, in lectionibus de grammatica hieroglyphica institutis me docuit, in antiquioribus quidem inscriptionibus, quum regens substantivum sit masculini generis, genitivi signum esse (relativum) *°n*, post subst. fem. gen. *°nte* (relativ. cum suff. fem.), quum sit in singul. numero; sed in plur. num. relativum etiam in plur. ponitur *na.* Quod evidenter demonstrat, hoc genitivi signum tanquam pronomen relativum ab Aegyptiis acceptum esse. Sed concedendum est non modo in Coptica lingua sed jam multo antea hunc relativi sensum fuisse amissum. Quare quod supra Copticae linguae objecimus, quod objecti relationem ab attributo non distinxerit, si verborum etyma respicimus, injuste factum est. Sed quin Copti, quum duarum vocum formae temporum cursu aequales factae sint, earum significationem etiam confuderint, vix dubitandum videtur.

Quum denique Copticum Ṅ cum Sinico *ʿcī* comparamus, id potissimum invenitur discrimen, quod Ṅ duas notiones inter se refert, ad duasque pertinet; (sed secundum Schw. ad sequens tantum nomen pertinet, quod in genitivo cogitandum sit = *was des*); *ʿcī* autem ad antecedentia tantum verba pertinet, quae ut totum sententiae articulum comprehendit et secludit cum sequentibusque tanquam attributum conjungenda indicat.

Sed fatendum est, comprehensiones attributivas, immo etiam objectivas particula relativa effectas, habere nescio quid languidi et inertis ac fluere dilapsas, brevi, debilioris esse vis syntheticae. Contra ea linguae sunt commemorandae Ame-

ricae in septemtriones spectantis Indianae. Hi populi, ut sunt et fortissimi animi et vividi concitatique ingenii, omnes res quam acerrima mente ac quodammodo poetice contemplantur semper ut totas atque integras, quae cum omnibus suis partibus aptissime cohaereant. Itaque oratione etiam cogitationes in eadem sua unitate cohaerentiaque exprimunt fervidiore atque agitatiore. Quare eorum linguae id est proprium, quod verba, ut ita dicam, discutiuntur, ut denuo non tam conjungantur, quam inter se vinciantur, comprimanturque. Subjectum et verbum et adverbium et objectum unam constituunt vocem, quae sit tota universae actionis imago. Sed nihil apparet anxietatis Mexicanae, qua objectum ne amittatur verbo includatur; sed omnes orationis partes cogitationis potestati sunt subjectae. Itaque attributum etiam et substantivum non conjunguntur, sed colliduntur; non componuntur, sed in unum corpus confunduntur. Sed hae linguae non ad nos pertinent ac propter id tantum a nobis commemoratae sunt, quia Copticae et Sinicae sunt contrariae. Plura invenies apud Humb. p. CCCXXXII.

Praeterea linguam Sanscritam satis constat in eam falsam inductam esse viam, ut saepius justo compositione utatur, quare tota ejus syntaxis corrupta sit. Itaque cognitae sunt compositiones istae, quas *Karmad'āraja, Determinativa* nominant, quibus attributum cum nomine ad unam vocem jungitur: *divjakusuma* = *coelestis flos*. In quo Indos divitiis suis abusos, linguamque ut humum orientalem luxuriare ab omnibus judicatur. Talia verborum quasi monstra, qualia apud Indos invenimus non tam animalibus, quae firmae unitatis speciem prae se ferant, quam plantis istis similes sunt, quae ut dicunt proliferatione quadam in infinitum crescant modoque magis anorganico dilabantur nec certas ac firmas praebeant formarum imagines. Compositio etiam habenda est, quum dicant Fenni: *Kulta päiwä* = *aureus sol* proprie *Gold-Sonne*. Quamquam Fenni habent proprias adjectivorum formas. Sed Sinica *'sīng 'ſin* (4 c, 1 s) composita non habeo. Quae utrum vertamus: *sanctus homo*, an: *sanctitatis homo*, nihil prorsus interest. Nam Sinae id tantum sentiunt, vocem *'ſin homo* voce *'sing* ut attributo definiri, quod positione vo-

4*

cum indicatur. Ac quamvis multa de compositionibus Sinicis dicant, Sinas voces componere ea certe ratione, qua nos agamus, omnino videtur negandum. Nam quum nunquam cui voci accentum adimant, eamque alius vocis accentui subjiciant, ita ut duae unum constituant sonorum tanquam corpus: concludere possumus, harum significationes etiam nunquam, ut in nostris compositionibus fit, in unum coire tertiamque efficere significationem, quae ambas eas in se contineat, iisque tanquam elementis suis circumscribatur. Sed duae notiones vel cogitationes a Sinis, ut voces singillatim audiuntur, singillatim cogitantur eoque inter se referuntur modo, qui serie in qua appellantur indicatur, e contextuque facile apparet.

Consideremus nunc quasdam linguas Africanas. Quae eo sunt singulares, atque Americanis oppositae, quod, quum in his pronomina personalia et possessiva regnent, demonstrativis potius abundant, iisque categorias etiam nostras subtiliter circumscribunt. Quae quum ad attributi et relativae enunciationis formationem multum conferant, hic latius explicanda videntur.

Profiteor autem magnam me cepisse voluptatem ex perquirendis linguis Africanis. Atque vero, quum non modo nonnulli, qui naturam empirice ut dicunt, sed re vera pusillo ingenio animoque illiberali contemplentur, sed etiam philosophi quidam homunculi, ut semel quidem ipse audivi, multos populos praecipue Africanos doceant eum efficere naturalium rerum ordinem, qui inter homines et simias medius, eum qui inter hos inveniatur tanquam hiatum expleat, eosque, ne rerum series, quae semper paullatim progrediatur, non saltuatim, interrumpatur, inter se tanquam connectat, ita ut dubium re vera sit, utrum illos populos in superioribus simiarum vel inferioribus hominum ordinibus numerent: — equidem nescio quid magis mirer, utrum ignorantiam talium hominum an insolentiam. Itaque quum Hegelius dicat, post millia demum annorum homines latissime patentem illam universae humanitatis notionem amplexos esse, praesertim Christiana doctrina permotos: fortasse contendi potest, hodie etiam profecto non ita multos inveniri, verae humanitatis participes. Ac quamvis recentiores populi doctrina Christiana, cultura, civilisatione

ut dicunt, omnia facile tempora superent: utrum vera humanitate etiam imprimis excellant, an antiqui populi magis ad hanc revocaverint animos, valde multumque Humboldtius dubitavit. Equidem autem, num lex Christiana ad communem humanitatem adjuverit divulgandam, nescio; sed id bene scio, vix ante hoc dimidium saeculi augustam illam humanitatis notionem ab hominibus primum mente esse perceptam, ac nunc denique magis magisque ad communes hominum res dirigendas nonnulla conferre incepisse immutandasque. Ex eo igitur tempore inter nos illa, quae omnes continet virtutes virtus, quae sola vitam nostram splendore illo divino exornat, invalescere potuit, quo animus humanus Kantii praecipue studiis magis magisque factus est ut dicunt autonomus, et literae humanae liberalesque suum quoddam institutum consequebantur, doctrinam Christianam negligentes. Haec enim semper non *homines*, sed ut Graeci Graecos tantum et barbaros, *Christianos* tantum et *paganos* aut *hereticos* agnovit. Verum autem vero hominem ut hominem agnoscere nulla unquam religio potuit, ac poterit nulla. Homines vero tum demum *„infinito suo honore atque infinito suo jure ac potestate“* (Hegel Encycl. 1840. I, 321.) gaudebunt, quum omnes nihil aliud esse intendant, ac nullos alios sese esse profiteantur, quam *homines*, atque *rem publicam* non christianam velint sed *humanam*.

At sunt, sunt ingeniosi naturae investigatores, qui quantum inter se animalia distent et homines, quam longe sint diversi atque sejuncti non ignorant, ac C. H. Schultzius quidem, v. d. a. c., cujus me lectiones maxima, quam literae habeant, delectatione audisse grato animo profiteor, inter homines et animalia majus esse discrimen quam inter animalia et plantas statuit, hominesque ait minime inter animalia mammalia esse numerandos, sed proprium efficere naturalium rerum ordinem. Ac mehercle! si revera Hottentotti et Buschmanni nihil aliud sint nisi *simiae lingua praeditae*, nihilominus de iis praedicem, quod antiquus ille Hebraeorum rex ac poeta de homine cecinit: *attamen paullulo tantum deo est inferior* (psalm. 8.), aut quod maximus recentioris temporis sapientiae magister Hegel, cujus subtilissimarum sententiarum

atque excelsarum qualemcunque habeo cognitionem, Werdero v. d. a. c. debeo, de hominum animo praedicavit, (Rede bei Eröffnung sr. Vorlesungen 1818) *magnitudinem ac potestatem ejus nunquam sat magni aestimari posse*; tamque illos populos honoro, ut „*summis eos rebus dignos*" habeam.

Nam loqui paene idem valet ac mundum creare. Atque in hoc maxime cernitur, quanti in philologia linguarum disciplina sit momenti. Nam quum negari non possit, illos, quorum studia, quum philologiae disciplinam nullum praeterire populum oporteat, in cognoscenda populorum non cultorum vita versantur, in multa occurrere, quae cum sana ratione minime conveniant ac magis oblivione quam cognitione et memoria digna videantur; pro libertate inveniri saepissime servitutem, pro jure arbitrium singulorum, pro artificiis deformia ac tetra: lingua tamen cujusvis populi artificiosum opus videtur divinumque, quod incredibilem humani animi vim testatur. Etenim omnis lingua, quum sit ab ipsa ratione sine meditatione commentationeque sed poetica quadam incitatione creata, rationi conveniens est, et non parvi momenti in contemplanda animi humani culturae historia. Quare etiam linguarum inter se comparandarum data est facultas ac necessitas. Nam quae arbitrio sunt facta, quamvis fortuitu similia, quum per se sint inania, habita internae eorum naturae ratione, inter se conferri non possunt. Romanorum jus, mehercle, melius non perspicimus, quum comparemus cum Mongolico, quod falso nominetur jus, quoniam non est quaedam juris ideae forma, non e juris idea ortum, sed ex tyranni arbitrio. Omnino aliter lingua sese habet, quae sit *vox populi*, paene dixerim *vox dei*. Atque nisi fallor ex hac demonstratione nostra linguas populorum Africanorum, in quos Christianae nationes cultissimae tam vehementer peccarunt et illae quae totius orbis terrarum liberrimas sese putant gentes semper adhuc peccant, quos nonnulli propter systematis ac formularum amorem tam libenter despiciunt, — horum inquam linguas maxima excellere praestantia apparebit. Atque ut hic jam exemplum afferamus, ex quo earum subtilitatem intelligas, subtile illud quod quantum scio inter omnes linguas Indo-europaeas nulla facit nisi Slavica et modo peri-

phrastico Anglica *(I write* et *I am writing)* inter *praesens definitum* vel *actuale* et *indefinitum* vel *durans (dokonane* et *niedokonane)* discrimen a linguis Africanis optime simplicissimeque exprimitur. Nam bene distinguunt inter *d'elaju = facio semel* et *d'elywaju = soleo facere,* quum pro illo dicant Jolofi *man def,* pro hoc *def na* (a rad. *def* = facere). Sed quum Slavicum praesens definitum (dokonane) fiat futurum, Jolofo- rum indefinitum fit praeteritum; nam qui solet facere, facit et fecit. Itemque duo habent praeterita, imperfectum, quod praesenti definito vel actuali respondet, et aoristum quod praesenti indefinito respondet: *don na def = ἐποίουν,* et *defon na = ἐποίησα.*

In lingua *Congensi* quoque Brusciotto a Vetralla (regulae quaedam pro difficillimi Congensium idiomatis faciliori captu, Romae 1659) praeter praesens et praeteritum aliud invenit tempus, quod variis appellat modis, cujusque propriam significationem nusquam definit. Nam p. 62 distinguit: „1) praesens, et praeteritum hodiernae diei; 2) praeteritum imperfectum, perfectum et plusquamperfectum; 3) praesens, quod continuationem cum praeterito significat.“ Hoc tertium tempus, quod p. 48 *praesens* simpliciter nominatur, mihi videtur *praesens definitum* vel *actuale: jafitissa = amo nunc;* illud primum autem, quod p. 50 „praeteritum quod est praesens“ nominat, p. 37. 38 „praeteritum“, p. 39 „praeteritum proximum sive hodiernae diei“, p. 54 „praesens hodiernae diei“ mihi videtur *praesens indefinitum, nfitissi = amo semper.* Num Congenses imperfectum et aoristum distinguant, dicere non possum. Br. a Vetr. quidem de hac re agit silentium; sed p. 38, ubi de praeteritis loquitur, complura tempora confudisse videtur. Sed utcunque sese haec res habet, Afros tempora bene discernere subtiliterque constat. Quin etiam, siquidem vera flectio in grammaticis magis rationibus recte perceptis mente, apteque voce expressis, quam in sonorum fortiore aut debiliore conjunctione posita est, nonnullas ex his linguas ad veram flexionem sat prope accedere censeo.

Quaeratur autem hic de lingua *Uolofica, Seschuanica* (nam quamvis populi nominentur: *Jolofi* et *Beschuani,* lin-

guarum nomina sunt quae diximus), *Bundica* vel *Angolensi* et *Congensi*, e quibus tres, quas ultimas nominavimus, omnino inter se cognatos esse facile cognoscitur et jam ab aliis cognitum est. Inter omnes autem analogia valet *grammatica*, quae sola hic nostra interest. Alias linguas Africanas, quae prorsus diversae videntur, ab hac disquisitione exclusimus. Sed valde videtur dolendum, quod tam pauca in illis linguis habemus exempla. Nam grammatici, e quorum libris illarum scientiam prompsi, linguarum disciplinae non ita sane erant studiosi, aliaque sequebantur consilia. Maxime autem *Casali* irascar, grammaticae Seschuanicae (Etudes sur la langue Séchuana. Paris 1841) auctori, qui post perbrevem grammaticam carmina epica, proverbia, aenigmata, narrationes hujus populi nobiscum communicet, sed non vernaculo sermone sed in Francicum versa. Sed addit novi testamenti versionis versus sex. — Bundica autem grammatica (Collecção de observações grammaticaes sobre a lingua Bunda ou Angolense, compostas por Bernardo Maria de Cannecattim. Lisboa 1805.) sine omni fere utilitate est, quia auctor linguae organismum, ac praesertim nominum declinationem, omnino non perspexit, et nulla dedit exempla, quibus ipsi nos melius docere possimus.

Sed jam aggrediamur ad admirabilem in his linguis demonstrativorum pronominum usum explicandum, quae quasi rete omnes enunciationis partes vel membra arctissime amplectuntur atque ut ita dicam circumplicant. Ac primo obtutu mirum videtur, quum unum nomen quattuor vel quinque demonstrativis circumjectum inveniamus. Sed simili profecto sensu pulsi id Congenses faciunt, quo nostrarum linguarum inventores nominibus demonstrativa suffixerunt, ut infra apparebit.

Initium autem sumamus a lingua Uolofica, in qua rationes grammaticae sunt simplicissimae. Non ita multis gaudet verborum formis, et demonstrativis etiam ad categorias denotandas neque unicas nec proprias utitur. Sed retinent demonstrativa communem suam demonstrandi significationem. Sunt autem hae tres vocales principales *a*, *u*, *i*. Ac vocali *a* (vel *e*) longinqua demonstrant, vocali *i* praesentia, plane ita

ut supra Sinicum *'cè* et *'cī* distinximus; vocali *u* autem (vel *o*) res demonstrant propiores, sed non praesentes. Qui vocales semper cum consonantibus demonstrativis conjunguntur, aut *labialibus* *b*, *v*, *m* (ba, bi, bu, va, vi, ma etc., quae, quamvis linguam Uolofícam Semiticis vel Indo-europaeis esse cognatam nemini in mentem veniat, nonnullis in his linguis et in Sinica particulis non fortuitu sed ex interna sua natura physiologica et communi hominum natura psychologica respondent, ac praecipue *ſu* = *ibi* convenit cum hebr. פֹּה *pō*, *ibi*, sin. *fū* [1 f] hic) aut gutturali (*ga*, *gi*, *gu* cf. hebr. כֹּה ,כִּי *ko*, *ki*, scrt. *ka*, sin. *k'ī* [2 b]) aut dentali (*sa*, *si*, *su* scrt. *ſa*, hebr. זֶה *ſë*, sin. *ts'ỳ* [6 z] *hic*, — *la*, *li*, *lu*), denique *dga**). Haec demonstrativa post substantiva ponuntur, ita ut plurimum certe litera substantivi initialis cum consonanti demonstrativa congruat; pro litera *t* vero et aliis, quae in demonstrativo non inveniuntur, ponitur *b*; e. c. *tol ba* hortus ille, *tol bi* hortus hic, *tol bu* h. iste; *gaenda ga* etc. leo ille etc. Significationem autem vel usum horum pronominum quum quaeramus, a Dardio docemur, articulorum nostrorum partes ea agere, quod Rogerius (p. 35.) improbat; sed: ils tiennent, ait, un peu de la nature des pronoms démonstratifs. Aliam definitionem, quae istorum naturam ac vim dilucidius exponat, non inveni. Quum autem perpauca vernacula linguae exempla, quae sola sunt fide digna, examinemus (proverbia R. p. 155, D. 135—144 ac perbrevem fabulam Rogerii libro additam) facile quidem id invenimus, multo rarius illa pronomina adhiberi quam in istis, quae D. ipse fabricatus est, exemplis, ac multo rarius adhiberi atque alia prorsus ratione quam articulos nostros. Nam fabula ista inscri-

*) *la, li, lu* apud Rogerium (Recherches philosophiques sur la langue Oulofe par M. le Baron Roger. Paris 1829) non invenitur, sed solum *le*. *dg* literis (apud Dardium *dh*) sonus denotatur, quem neque hic neque ille definit. Dard (grammaire wolofe. 1826 p. XX) docet: „*th* et *dh* se prononce comme dans *thia*, *dhia* en alongeant un peu les lèvres.“ (?) Rogerius pro Dardii *th* scribit *tk*, sed pro *dh* ponit *ghi*, quod in glossario explicat literis *dguy*. Nos scribemus *tk* et *dg*. In lingua Gallensium (v. infra) idem sonus inveniri videtur: *d'* = *d* cum arab. *g'ain*.

bitur: *goloh ak lög* = *simia et lepus*, et R. annotat, dici etiam posse: *goloh-ge ak lög-be*. Quod etiamsi rectum sit, tamen hoc ab illo non ita est diversum ut nostrum *der Hase* ab *ein Hase*. Nam quum *der Hase* universe dicatur, *lög-be* certum valet quendam leporem a nobis remotum. In ipsa narratione nos, quum personam aut rem introducamus, articulum omittimus, quum iterum commemoremus, eam tanquam notam articulo instruimus. Sed Jolofi simiam et leporem quum primum in fabula commemorent, ponunt pronomina ista, postea omittunt, quoniam satis videbatur in initio dicere de quo lepore dicturi essent. At plerumque fortasse ista ad categorias grammaticas enunciandas, aut certe, si jam alio modo notionum rationis expressio effecta est, ad eam corroborandam adhibentur; e. c. (D. 108) *amé na daba ba* j'ai la pioche, id est *possideo* vel mihi *est* rastrum. Sed si dicere velis: *teneo manu*, non dubito, quin dicere te oporteat: *ma* vel *manga amé daba bi*; scilicet quod teneo *adest*, sed quod possideo, abesse potest. Nos autem hic quum in eo versemur, quod pronominis relativi in exprimendo attributo vim et naturam exponimus, de illis ita tantum loquemur, quantum ea tanquam pronomina relativa attributum denotant.

Praecipue autem *bu*, *gu* etc. denique vocalis *u* hic ad nos pertinet, quae facile frequentissime inter tria ista adhibetur. — Ac primum quidem notandum videtur praepositionem *u* (*de*, *du*, *de la* R. 111. D. 100) qua genitivus circumscribitur, proprie esse demonstrativum istud *u*. Res videlicet, ex qua alia gignitur vel provenit, quae ad aliam pertinet, apte ita posse cogitari videtur, ut huic sit propinqua. Dicunt igitur: *mbai u dom* = *pater filii*. Quare quum *u* ipsum sit demonstrativum, aliud pronomen superfluum est, semperque omittitur. Minime igitur dici potest *mbai ba (bi, bu) u dom*, sed: *mbai u dom da (di, du)*. Nam *filius (dom)* quidem propinquus aut remotus esse potest a persona quae loquitur; sed pater, qui genitivum accipit, huic genitivo semper propinquus cogitatur. Itaque *mbai u dom* est proprie: *pater iste* (propinquus, quum respiciatur) *filius*.

Tum vero *u* universe attributi est signum. *Dom* significat infantem, *dom u gor* infantem virilem (et infantem viri).

Sed plerumque adjectivum attributum, quum forma sua a nomine non sit distinctum, ne ut genitivus accipiatur, non *u* solo instruitur, sed, quo magis etiam adjectivum substantivo subjiciatur, arctiusque cum eo connectatur, demonstrativo *u* literae initiales, quae cum substantivis conveniunt, praeponuntur; *gur gu bah'* vir bonus, *gu* syllabae latinae *us* partes supplet; ac tantum abest, ut *gu* hic sit demonstrativum materiale vel significans aut articulus, ut potius aliud pronomen, quum necessarium sit, post adjectivum addi oporteat; *kör gu ri* significat: *une grande maison;* pron. *gu* enunciat, *ri magnum* tanquam attributum cum *kör* esse jungendum; sed *kör gu ri ga (gi, gu)* significat: *cette grande maison.* Sed *ga* (*gi, gu*), quum sequatur genitivus, qui ipse demonstrativo designatur, omitti necesse est: *kör gu ri u bur ba* la grande maison du roi. — Quod attributi signum *u, bu* etc. nunquam aliis demonstrativis *i* et *a* permutari potest, quamvis Rog (p. 36. ann.) contendat, id fieri debere. Sed in exemplis, quae ipse dedit, *u* legitur, ut in permultis etiam apud D. exemplis. Eodem modo adverbiis, quippe quae sint attributa verbi, demonstrat. *bu* anteponitur (R. 109. D. 98): *bu bare* multum, *bu doi* satis. *Dom u gor, infans virilis,* autem et similia verba conjuncta magis sunt habenda, quam substantivum cum attributo. Sed, si vis, in exemplis, quae modo dedimus, demonstrativa tanquam relativa, quorum partes agant, vertas: *domus quae magna, quae (propinqua) regi*; et: *quod est multum, quod est satis*; et: (D. 141.) *ellă wăh'ă bu ntut, tei degelu bu bare = oportet dicas quod* (est) *paucum, et audias quod* (est) *multum.* — Itaque demonstrativa haec Uolofica valde cum Coptico Ṅ conveniunt, sed magis etiam confirmant, Ṅ minus ad sequentem vocem, quam ad praecedentem pertinere, quam cum illa jungat, ac minime esse demonstrativum ante Ṅ supplendum. Nam *wăh'ă bu ntut, parler peu* non est: *dicere ea, quae pauca,* ut facile opinari possis, sed potius *bu* pertinet ad *dicere* et denotat, dicendi actionem ad *pauca* esse referendam ut ad attributum, vel eo esse definitam. — In fabula a R. edita legitur: *amul ben mperhe-mu = non-habet unam occasionem,* ad quem locum R. annotat (p. 149): *mu* signe de position; il a la terminai-

son *u*, parcequ'il se rapporte à un objet, qui n'est pas très-éloigné, et qu'on cherche. Sed quomodo quid propinquum esse possit, quod omnino non existat, ut occasio, quae non data sit, ignoro; *ben* autem hic non est articulus indefinitus, sed cum negatione junctum valet: *ne unam quidem*. Nam si *ben* articulus indef. esset, *mu* demonstr. sequi non posset, et R. recte vertit: (il) n'a pas un moyen, ac minime quod falsum esset: pas de moyen. Praeterea paullo post eadem verba leguntur sine *mu*. Quid igitur sibi vult hoc *mu?* Secundum nostram expositionem res facile intelligitur. Nam in priore loco ponitur *mu*, quia sequitur *mu-def*, itaque *mperhe-mu mu-def* significat: *occasionem id-faciendi*, ac *mu* voci *mperhe* postpositum est ut attributi signum; sed in altero loco vox *mperhe* concludit sententiam, et demonstrativum non est necessarium.

Sed non modo singulae voces, sed totae etiam enunciationes praeposito demonstr. *u* fieri possunt attributa, ita ut demonstrativa haec apte relativa nostra pronomina compensent. *Bur bu amul i nitte du don bur = rex qui non-habet homines non est rex*, vel quum *bu* id tantum indicet, *amul i nitte* esse praedicatum, vertas: *rex, non-habens* etc. — Itaque alia verba, quae relativa nominare possumus, ut conjunctiones etiam, vocali *u* sunt formata: *ku* quicunque *wer*, *lu* quidcunque *was, su* quum, si.*) — Attamen alia demonstrativa etiam, vocalibus *i* et *u* formata, attributi signa esse possunt; sed semper significationem mutant. Ac quamvis proprie locum demonstrent, tamen ad tempora, quin etiam ad casus denotandos, apte adhibentur. Nam formant Olofi tria participia trium temporum. Partc. praet. formatur addita radici syllaba *on* (*dem-demon*); prtc. fut. vel indefinitum meram continet radicem; et partic. praes. formatur adjecto *e* (*dem-deme*). Quibus participiis pronomina personalia praeponuntur et conjunctio *bă = quum*; *bă ma sopon* lorsque

*) Quod ad nomen linguae et populi de quo dicimus attinet, rectissime fortasse diceremus: lingua *Olofica*, et *Olofi* vel *Olofenses*. Nam ut *i* praepositum est nota pluralis, ita *u* videtur attributi nota, et subst. *lingua* supplendum; *i* et *u* autem nostris exitibus exprimuntur itaque omitti debent.

j'aimais etc. Ita quidem vult D. Sed R. in hujus loci expositione ab eo dissentit. Qui vocem *bă* novisse non videtur; sed personalibus docet praeponi demonstrativa ista, in praeterito *ba*, praes. *bi*, fut. *bu*. Quae inter D. et R. differentia videtur esse dialectorum. *Bă* autem, quod apud D. non nisi cum participiis inveni, re vera idem demonstrativum videtur, ac *ba bi bu*, sed cum vocali indifferenti, qui cum *e* muto Francorum convenire dicitur, et significatione indifferenti, propinquitatis scilicet et longinquitatis non habita ratione. Itaque *bă : bu* = hebr. בְּ : פֹּה (in : hic) et *bă ma k'aron* = *quum caederem* miro modo convenit cum hebraico בְּכָרְתִי *bik'ĕroti**). Quum vero formae pleniores et distinctiores *ba*, *bi*, *bu* adhibeantur, temporum significatio, quae exitibus expressa sit, istis non proprie formatur, sed confirmatur. Haec vocalium inter tempora distributio est symbolica ac, quod notandum videtur, omnino cum ea quae in Semiticis linguis pro temporibus invenitur vocalium mutatione convenit. Dicunt Chaldaei קְטַל *kĕtal* interfecit, יִקְטֻל *jiktul* interficiet, denique קָטֵל *kātel* vel קָטִל *kātil*. (Fürst chald. Gramm. p. 115) interficiens, et pass. קְטִיל *kĕtīl*. Sed Sanscritum *a* etiam, Graec. *ε*, quo praeterita formantur, (Augmentum) Olofico huic *a* physiologice certe esse cognatum censeo. In lingua Coptica etiam praeteritum praefixo *a* formatur. Hoc *a* autem est radix verbi substantivi (esse) et personarum signa accipit: A-I-TI *dedi*, proprie: *esse ego dare*. Sanscr. *adām* ἔδων = *esse dare ego*. Sed quum jam ad ipsum verbum substantivum flectendum Indi hoc *a* adhiberent *āsam* ἦν proprie: *esse esse ego*, a priore etiam significatione augmentum repetere debemus. Prima autem vocis *a* significatio est demonstrativa, *hoc*, atque in Coptica

---

*) Complures voces Oloficas, quae Tataricis similia videntur, hic recensebo, quamquam nihil ex iis concludo: *sap* aimer — Turc. سو *sew*; *ut* chercher — Manz. *uda* acheter. *sore* loin — Fenn. *sūri* longus. *bori* saigner du *nez*, *borom* chef, *bur* roi — Turc. بورون *burun* nasus, Vasconice *buru* caput. *bōg* desirer — Manz. *bacha* consequi. *dindi* oter — M. *dende* dividere. *dau* jeune — M. *deo* frater minor. *tōb dal* sauter et retomber M. *tob* rectus et *dalai* planus. *silmak'a* aveugle — Fenn. *silme* oculus.

lingua hoc pron. dem. verbi substantivi accepit significationem et ad tempora formanda adhibebatur; in Sanscrita autem vel Indo-europaea, hujus *a* quum significatio amplificaretur vel se intenderet, forma etiam amplificata est. Nam cum demonstr. *a* aliud demonstr. *ſ* ad verbum substantivum *aſ* efficiendum junxerunt. Itaque augmenti *a* significationem statuo esse proprie: *illud, illic, tunc.* (*ἔδων* = *tum dans ego, ἦν* = *tum sum*). In lingua Hebraica idem demonstr. *a* cum eodem *ſ* junctum est, sed non ad verbum substantivum formandum sed ad demonstrationem corroborandam: אָז *āſ* = *tunc,* quae vox omnino congruit cum radice Sanscr. *aſ* = *esse.* אָז *āſ* autem in talibus comprehensionibus, ut אָז יָשִׁיר *āſ jāšīr, cecinit,* prorsus convenit cum *a* augmenti.

Sed ad Oloficam linguam redeamus. Demonstrativa illa cum participiis conjuncta, quum in capite periodorum inveniantur, ad nullumque nomen referantur, attributi signa nominari non possunt, sed conjunctiones relativae, quare initiale *b* nunquam mutatur. Sed eadem participia ista, quum ad substantivum referantur, quumque litera initialis secundum nominis initialem mutetur, enunciationes nostras relativas vel attributivas circumscribunt, et re vera attributi sunt signa; e. c. *H'oti nă tere ba ma ko abelon* (R. 103) *il a déchiré le livre que je lui prêtai.* In quo pron. *ba* vocem *tere, liber,* cum sequenti sententia *ma ko abelon, ego ei mutuo-dedi,* ut cum attributo suo conjungit. *Dök bi ma döke* (ib. p. 53) *le village dans lequel je demeure.* At *bi* nullo modo significat: dans lequel; sed denotatur relativo *bi,* vocem *dök* vocibus *ma döke* tanquam attributo suo definiri. Itemque: *gur gu ma adu, l'homme auquel je parle.* — Ac saepissime longinquitas aut propinquitas convenit cum tempore; sed tamen necessarium id non est, sed vocali et initiali litera demonstrativa pro re mutata, dici potest: *dök be ma döke, pagus ille, in quo habito,* et contra: *tere bi ma ko abelon, hic liber quem mutuo-dedi.* Itaque res praesentes in praeterito tempore, et res longinquae in praesenti cogitari possunt, et vocalis in his pronominibus relativis pro loco, ut consonans pro initiali nominis, ad quod referuntur, consonanti mutatur. — Vocalium autem mutatione non modo locus sed etiam categoriae, quae casibus nostris

exprimuntur, ut ita dicam demonstrantur. Nam saepius locus et categoriae istae ita conveniunt, ut harum expressio illo compensari potest. Itaque: *gur ga ma di wahʿ* significat: *homo ille de quo loquor* (proprie: *homo ille ego loquor*) in quo *ga* non modo voces *ma di wahʿ* ut attributum ad *gur* refert, sed etiam id enunciat, rem vel personam ad quam referat, *gur*, non adesse, sed esse longinquam. Quum autem eum qui non adsit alloqui non possim, dubitari non potest, quin verba *ma di wahʿ*, *loquor* non ita esse ad *gur*, *homo* referenda, ut significet *ad quem loquor*, sed potius *de quo loquor*. Sed *gur gi ma di wahʿ (homo hic ego loquor)* nihil aliud significare potest quam *quem alloquor*, ita ut *loci* praesentia accusativi *ratio* denotatur. Sed *gu*, quod est generale attributi signum, et dativum et accusativum circumscribere potest, et *gur gu ma di wahʿ* incertum est utrum significet *cum* an *de quo* loquor. Quare ne mireris, si R. p. 53. *gu* vertit *auquel* = *gi*, et p. 54. *duquel* = *ga*, neve in hoc contradictionem esse putes. R. vero nihil de hac re annotavit.

Itaque, ut paucis comprehendamus quae diximus, vocalis *u* commune est attributi signum, et adjectiva cum substantivis et adverbia cum verbis conjungit. Ante adjectiva consonans initialis pro substantivis variatur, ante adverbia *u* semper accipit *b*, *bu*. Quum autem attributum non simplici adjectivo sed tota verborum quadam comprehensione exprimatur, *a* et *i* adhibentur, quibus sensus variatur. Ut autem ante *u* inter adjectiva et adverbia distinximus, ita ante *a* et *i* etiam distinguamus necesse est inter enunciationes adverbiales et adjectivas. Ante adverbiales enunciationes consonans initialis, ut ante *u*, semper est *b*, et vocalis aut indifferens *ă* secundum Dardium, aut secundum Rogerium, quum res praeterita sit, *a*, quum praesens *i*, quum indefinita aut futura *u*. Ante adjectivas contra comprehensiones consonans variatur pro litera substantivi initiali, et vocalis non pro tempore, sed pro loco, quocum grammaticae rationes plerumque certe, si non semper, conveniunt.

Praeterea annotandum videtur, Rogerium praeter hunc relativarum enunciationum circumscribendarum magis quam

exprimendarum modum nullum novisse pronomen relativum, nisi *ku* = *quoi, ce que*. Sed Dardius duo alia relativa (praeter nonnulla, quae proprie sunt interrogativa vel demonstrativa) commemorat, primum *ki*, quod ante verbum *năkă* esse solum invenitur, *kör ga ki năkă tkia Gore, la maison qui est à Gorée;* tum *ka*, pl. *gna*; „*ka* relatif n'est d'usage que dans ces phrases: celui qui est mort: *ku de ka*; celle qui est arrivée: *ku dikă ka*; celui qui est parti: *ku demnă ka*, et in plur. *gnu de gna*" etc. In dictionario suo et *ka* et *ki* omissum est. De quibus statuere quid certum nolim; sed fortasse *ki* est adverbium et valet *in*, ut *ki năk* sit: *inest*. Relativum enim post demonstrativum *ga* omitti bene potest vel debet. *Ka* autem videtur demonstr., quod sequatur relativum *ku* cum verbo conjunctum, tanquam ac si haec duo unum essent nomen, ut *ku-de ka* sit: *mortuus ille*, ad verba: *qui-mortuus ille*. Sed satis!

Reliquum est, ut agatur de lingua Sechuanica et Congensi. Nam Bundica lingua vel Angolensis, quantum ex catechismo a *Coucto* scripto (Gentilis Angollae fidei mysteriis, Lusitano olim idiomate per Antonium de Coucto, nunc autem latino per Antonium Mariam instructus Romae 1659.) intellexi, forma generali et enuntiationum fingendarum ratione cum Congensi omnino convenit. Quae linguae quum comparentur cum Olofica multo videntur subtiliores, ac felicius id quod intendunt exsequuntur. Formae magis sunt variae atque uberiores, quibus majorem efficiant et perspicuitatem sententiarum et verborum concinnitatem. Nam ad categorias denotandas non jam utuntur absolutis pronominibus demonstrativis, quae locum demonstrant, sed praefixis et articulis potius, eaque minime tam rudi modo cum nominibus jungunt, ut ea eadem consonanti initiali instruant, ex qua nomina ad quae pertineant initium capiant, quod Olofenses faciunt, qui notiones jungendas vera soni communitate designent. Sed Beschuani et Congenses nominibus demonstrativa praefigunt, quibus nomina formant a verbisque distinguunt. Haec demonstrativa cum nominibus unum efficiunt corpus et nullo modo mutantur nisi ad pluralem formandum. Itaque cum nostris suffixis, quibus orationis partes formamus, valde con-

veniunt. Sunt autem apud Beschuanos haec: *le* (pl. *ma*), *mo* (pl. *ba*), *se* (pl. *li*), *bo* (pl. *ma*), apud Congenses sunt octo, quae absoluta per se non inveniuntur. Adjectivis autem sive in attributo sive in praedicato idem praefigitur pronomen, quod habet substantivum ad quod pertinet, ut apud nos etiam adjectiva cum substantivis forma congruunt. Inter substantiva et adjectiva praeterea demonstrativum vel articulus quidam interseritur, qui in lingua Schuanica*) semper est idem, quod praefixum; e. c. *se-fate se se-golu*, *arbre le grand.* Sed in lingua Congensi non semper adjectivum cum substantivo in ipso praefixi sono convenit. Quamquam omne nominis praefixum certum quoddam requirit adjectivi praef. Itaque quum subst. habeat *e* praef., adj. semper habet *ri*, quum subst. sit *n* praef., adj. habet *ja*. Articulus autem interpositus semper est *a*, quod miro modo cum articulo Vasconicae linguae convenit. Sed huic *a* ipsi tanquam attributo pronomen praefigitur. Itaque dicunt: *ku-soneka ku-a ku-ingi* scripturae multae; sed: laus bona = *e-tondo ri-a ri-ote*; cantilena jucunda = *mu-kunga ua-ngalele.* At nonnullis pronominibus demonstrativis absolutis tanquam attributis, ut *o*, *e* = *hic*, pl. *o*, *e*, *a* = *hi* nominum praefixa suffiguntur: *u-lunga o-u* navis haec, *ma-banda a-ma* hi rami, *ma-banda o-mo* isti rami. — Praeterea lingua Congensis duos habet articulos *o*, *e*, qui quum propriè sint demonstrativa, absoluti nominibus praeponuntur. *O ma-tondo ma-onso* laudes omnes; *o ku-ria o-ku* hic cibus; *o muleke* der Knabe. De quorum articulorum, praepositi et interjecti, usu magis definite dicere non possum. Nam Brusciotto a Vetralla saepius ita est obscurus, tamque confuse scribit ac perplexe, ut vix videam quid sentiat. Accedit quod latina utitur lingua, qua subtiles articulis effectae notionum variationes exprimi non possint. Sed opinor illud praepositum *o*, *e* magis cum nostro articulo convenire quam articulum illum inter subst. et adj. interjectum, qui magis generale signum relativum videatur.

---

*) Nam *se* est praefixum et compensatur nostro suff. *ca*, ut praef. *be* in *Be-schuani* suffixo *i* vel *ni*. Sed *be* nunc quidem ut praef. non jam invenitur, nisi *be* sit idem quod *ba*.

Itaque quum Congenses dicant: *o ma-tondo ma ma-ote, laudes bonae,* quattuor utuntur pronominibus. Quod ne mirere, conferas Hebraicum הַתְּהִלּוֹת הַטּוֹבוֹת *ha-tthill-ōt ha-ttōb-ōt.* O respondet primo *ha,* articulo definito; ambo praefixa *ma* conveniunt cum exitibus *ōt,* et insertum *ma* cum inserto *ha,* quum ambo attributi sint signa. Itemque in expressione ejus quam genitivo nos exprimimus rationis, Hebr. lingua cum Congensi valde convenit. Nam Congenses duo substantiva immutata ponunt regens ante rectum. Sed interserto articulo indicant esse rationem quandam inter haec subst. atque ita, ut prius sequenti definiatur. Itaque dicunt: *e-tondo ria nfumbiampungu ria ri-ote, laus dei bona,* et discrimen inter substantivum in genitivi casu cogitandum et adjectivum in eo cernitur, quod hoc praefixum substantivi ad quod pertinet accipit, illud proprium suum suff. retinet. Comparemus statum constructum Hebraeorum. Qui dicunt: תְּהִלַּת יְהוָה הַטּוֹבָה *tĕhill-a-t Jehova ha-ttob-ā.* Congense *e* convenit cum Hebr. exitu *a* vocis *tĕhillat,* utroque enim substantiva formantur. Prius *ria* respondet signo casus constructi *t,* quod idem est demonstrativum. Posterius *ria* respondet articulo *ha,* utrumque hic est attributi signum. *Ri* denique praefixum convenit cum exitu *a* adjectivi *tob-a,* utroque adjectiva ita formantur, ut cum substantivis congruant.

Comparemus autem Indo-europaeas etiam linguas. *E i-nbungu i-a i-kulu,* οἱ λύκ-οι οἱ παλαι-οί; *e* respondet priori οἱ, *i-a* posteriori ita, ut ο || ό, ί || ι; ambo praefixa ambobus suffixis οι. Nos Germani simili modo loquimur, *die Stimme, die rufende;* secundus articulus *die* ut in omnibus appositionibus est particula relativa. Itemque in Persicis quae literis cuneatis scriptae sunt inscriptionibus appositiones pronomine relativo junguntur, e. g. *Gaumâta hya magus* = *Gaumata der Magier,* ad verba: *G. welcher M.* et *Gaumâtam tyam magum, G. den M.* proprie: *G. welchen M.* Item Hebraei saepissime enunciationes relativas ita circumscribunt, ut verbum definitum in participium mutent et articulum הַ praeponant tanquam attributi signum; e. c. *die Menschen die gehenden* pro *die Menschen, welche gehen.* At monendum est, in illo exemplo: οἱ λύκοι etc. ambo praefixa ι ambobus suff.

oi respondere solum quatenus haec sunt signa numeri pluralis, sed non quatenus nominativum casum denotant. Nam quamvis in lingua Congensi partes orationis distinguuntur, tamen casus non exprimuntur. Quare genitivi expressionem, quam cum Semitico statu constructo convenire vidimus, cum linguarum Indo-europaearum genitivo comparare non possumus. Lingua Persica recens hic conferri potest quantum scio sola; *opus regis* vertunt Congenses ita: *mufunu ua mucino* et Persae كار شاه *kār-i šah*, ita ut *ua* correspondeat *i*. Haec vocalis *i* autem proprie est pronomen relativum, e Zendico *ja* ortum, quo Persae genitivum circumscribunt. — Articulis istis Congenses adjectiva nostra derivata exprimunt. In catechismo Bundico p. 88. legitur: *kitusi kia kufua, peccado mortal;* sed *kufua* est infinitivus, et fortasse accuratissime vertimus: *ein Vergehen zum sterben*, ut Copticum Ň etiam vertimus. Ex eodem exemplo apparet, *kia* minime esse nostrum articulum definitum. — Denique autem articulis istis Afri pronomen relativum compensant. Schuanenses dicunt: *bo-gobe bo kenisang, panis is satians* = qui satiat, plane ut Hebraei (vide supra.); *bo-gobe bo ki ho jang, panis is ego eum comedens* = quem comedo. Tria *bo* sunt hic eadem vox, tertium est objectum; (eodem modo dicitur: *Se-ʻsaba morena oa-se-boka* = populus, rex is-eum laudat.) sed secundum *bo* est relativum, denotatque, voces *ki bo jang* esse attributum.

Denique Congenses: *ki-uma kia-fitissa nfambianpungu*, res, quam amat deus; *nfo ei ja-mbote ja-tungiri nPetelo*, domus haec (est) bona, quam aedificavit Petrus. Prius *ja* respondet exitui *a* vocis *bon-a*, posterior et illud *kia* sequentes voces: *amat deus, aedif. P.* ad subjectum referunt. Itaque quum Congenses in his enunciationibus relativis non, ut Schuanenses, participiis utantur, sed formis finitis, praefixa sua plane eodem modo adhibere videntur, ut Copti pron. rel. ETE, Hebr. אשר *ăšer*, eaque re vera quae pronomina relativa nominentur digna videntur. — Sed necesse videtur, harum linguarum verbi flexionem brevi exponamus, ut eo magis intelligamus, quam proxime hae ad nostras linguas accedant. Schuanenses autem declinant ita: *kia - bofa - je*, lie,

ua-bofa, oa-bofa pl. *rea-, lea-, bo-bofa.* perf. *ki-bofile* etc. Pronomina verbis igitur non praeponuntur, ut in linguis fit quae agglutinatione utuntur, sed *praefiguntur,* iisque subjecta praeponuntur. In hoc exemplo: *Morena oa-boka, rex lauda-t,*
1 2 3 1 2
oa respondet latino *t*, et *o-bok-ile*, omnino videtur: *laud-*
3 1
avi-t. Congenses dicunt: *meno n-fitissi* ego am-o, *meno*
1 2 3 3 2 1
n-ku-fitissa ego *am-ab-o; tu-fitissi* am-amus; *eni tu-fitissi* nos am-amus. Articulum *o* saepius pronominibus personalibus praeponunt, ut Graeci etiam faciunt: *Ó meno, hic ego.* Itaque quum prorsus nihil interesse possit, utrum categoriarum signa praefigantur vel suffigantur, Schuanenses et Congenses non solum partes orationis distinguere, sed etiam verba vere flectere et verum pronomen relativum habere censendum videtur.

Attamen valde caveamus ne specie fallamur. Vera enim flexio non in externa sane sonorum conjunctione posita est, sed in interna significatione rationumque perceptione, quae hanc junctionem creaverit. Categorias a variis populis varie comprehensas linguarum diversitatem efficere vel solas vel praecipue, flexionemque sonis minus ab aliis fingendarum linguae formarum modis distingui quam potius sensu, id non satis videtur moneri posse. Saepius autem fit, ut docti viri eas linguas, quibus ob patriae vel gentis, ex qua orti sint, amorem vel ex aliis causis maxima diligentia studeant, laudibus ad coelum tollant; saepiusque, quoniam linguarum Indo-europaearum praestantiam non intellexerint, vitia etiam istarum vel virtutes magna certe exceptione tantum laudandas ut summam praedicent praestantiam. Alii linguam Vasconicam, alii Americanas, alii Africanas, alii Fennicas omnium excellentissimas atque ingenti laude dignas habent, videlicet quoniam alias aut prorsus non noverunt, aut certe non perspexerunt. Itaque Dardius linguam Oloficam, quae sine dubio linguae Schuanicae nedum Congensi multo sit posthabenda, perperam judicat. „C'est peut-être, ait, de *toutes* les langues, que les hommes aient jamais parlées, celle dont le système grammatical est le plus ingénieux.“ Item Rogerius linguam Oloficam longe praefert

nostris, quas nominat: ouvrages du caprice et du hasard, quarum praestantiam vero adeo intellexit nihil, ut, quum negare non possit, illam vero pronomine relativo carere, exclamet: j'avais souvent dit en France: qui me délivrera des articles et des pronoms relatifs! Fortasse in Germania etiam similia audiuntur, atque inveniuntur, qui Germanicae linguae virtutes novisse non videantur. Nos quidem linguas istas Africanas ut Calmuckicam et omnes quotcunque sint alias aliqua ex parte propriis excellere virtutibus libenter concedimus, ac populos quidem et homines novimus barbaros, sed minime barbaras linguas. At quo magis linguas perquirimus ac pervestigamus, quo magis internam earum rationem et naturam perspicimus, eo magis linguas Indo-europaeas cognoscimus vere esse quas dicant classicas, atque opus humanae illius linguas creandi facultatis perfectissimum, summumque quem ea attingere potuerit gradum. Ac quum alias linguas laudemus, semper id respicimus, utrum nostris linguis magis an minus sint aequales.

Africanae autem istae de quibus proxime diximus linguae a nostris ita sunt diversae, ut minime grammaticas categorias demonstrativis suis exprimere studeant. Sed ut Sinenses has repudiant, id vero nituntur, ut ad quid verbum omnequodque pertineat enuncient. Adjectiva v. g. non attributi aut praedicati signo instruunt, sed potius praefixis et demonstrativis ad certum quoddam substantivum referunt. Nos quum dicamus: *lapis magnus*, substantivum trium rationum signo est praeditum, generis, numeri, casus. Quum igitur adjectivum earundem rationum signa accipiet, quamvis adjectivi et substantivi signa saepissime sono quidem discrepent, tamen perfecta rationum congruentia comprehensio attributiva sine materiali attributi signo exprimitur. In exemplo igitur, quod attulimus, *magnus* minime ad hoc certum substantivum: *lapis* refertur sed ad aliquod substantivum, quod in iisdem grammaticis rationibus positum est, quae in verbo: *magnus* denotatae sunt. Afri praefixis demonstrativis indicant hanc vocem significare rem aliquam, non actionem; sed minime denotant grammaticas categorias generis aut casus nominum, ut nos nostris suffixis. Quare pluralem etiam, quem denotant, non sicuti

nos quidem facimus, tanquam grammaticam rationem et formam linguae propriam denotant, sed ut statum rerum materialem. Itaque attributum etiam non ut generalem mentis categoriam et linguae formam exprimunt, sed adjectiva ad singula substantiva materialibus signis referunt. Quod omnino convenit cum eo, quod horum populorum animi, ut e religione eorum, quam Fetischismum vocant, maxime apparet, in singulis semper contemplandis rebus sunt defixi. Quare quum nobis sufficiat, substantivorum rationes, genus, numerum, casum, uno semper exitu in adjectivis denotare, multarum in substantivis formarum habita ratione nulla, isti nimiam persequuntur substantivi et adjectivi congruentiam, tanquam si omne adj. Latinum non tres, sed omnes qui in subst. inveniuntur, accipere posset exitus, ut diceretur: patrem bonem, filius diligentus.

Itaque linguae istae quum attributum non exprimant, praedicatum etiam vere enunciare non possunt. Hebraei subtiliter articulo tanquam relativo posito aut omisso distinguunt inter attributum et praedicatum: הָאֶבֶן הַגְּדֹלָה *hā-ēben haggdōlā* valet: lapidem magnum; sed *ha-eben gdōlā* lapis (est) magnus. Apud Congenses: *etondo ria riote* significare potest: *laus bona* et *laus est bona* (Brusciotto p. 2. et 3.). Si subjectum est nomen proprium, discrimen interjecto articulo ita efficitur, ut *nPetelo muote* sit: *P. bonus*, sed *nPetelo ua muote, P. est bonus* (p. 30). Eodem modo p. 84. interserto articulo praedicatum distinguitur ab attributo. Sed articuli ipsi saepissime in attributo inveniuntur, atque multo aptius quam in praedicato. Itaque, quamvis id celare non possim, locum illum apud Brusciottum (p. 30) valde esse confusum, tamen Congenses attributum et praedicatum non distinguere constat. Quare flexioni etiam Afrorum valde diffido. Nam formae istae, quae flexionis speciem prae se ferant, re vera videntur participia, quae tanquam adjectiva praefixo ad subjectum trahuntur. Quare quamvis duarum primarum personarum praefixa, quum semper ad pronomen 1ae et 2ae personae pertineant, non mutentur, tamen 3ae praefixum ut adjectivorum ita permutatur, ut cum subjecto congruat. Si v. g. in lingua Schuanica subjecto praefixum est *u*, verbo praefi-

gitur *sea*, *bo* — *boa* etc. Sed ne forte *a* finale proprium personae 3ae signum habeas, scias idem *a* et in 1. et 2. pers. inveniri, *ki-a-bofa* je lie, *u-a-bofa* tu lies; *re-a* nous *le-a* vous. Itaque *a* participia formare et cum articulo Congensi convenire videtur. Omittitur autem in perfecto. Itaque vox *oa* in: *morena oa boka*, rex laudat, est eadem, quae in: *motu oa musa*, *homo amabilis*, etc. *mora oa ame*, *filius meus*. In lingua Congensi et Bundica in perfecto personarum signis additur *a*, in praesente omittitur. Sunt autem haec signa: *i*, *u*, *a*, pl. *tu*, *nu*, *a*. Sed eadem signa absoluta efficiunt verbum substantivum: *meno i* ego sum, *nge u* tu es; *ojandi i* ille est; *etu tu* nos sumus, *enu nu* vos estis, *au a* illi sunt. Qua ex re Congenses verbum substantivum iteratis pronominibus circumscribere facile apparet, et *nge u fitissa* in sensu illorum nihil aliud esse potest nisi *tu es* (proprie *tu tu*) *amans*. Itaque synthetica illa verbi vis debilissima videtur. At istud *a*, tertiae personae signum, secundum substantiva quae sunt subjecta mutari, in lingua Congensi ostendere non possum, quia exempla, exceptis perpaucis quae Brusciottus dedit, non habeo. p. 7. quidem legitur: *onguriankama o-kuria*, dominus comedit; sed *o*-kuria pro *a*-kuria erratum typographicum videtur. Sed in catechismo Bundico nonnulla inveni exempla, in quibus praefixum permutatum est: *Kiſēka eki kia kutāmbula o ubika ua nſambi jakiri ki ekāla ko mukūtu ua atu assolola*, i. e. obligatio haec (quae) recipiendi legem dei veri adstringit (opinor esse legendum *ki-a-kāla*) omnes homines (p. 9.), in quo praedicatum, ut attributa *e* = *haec* et articulus, quo genitivus circumscribitur, *a*, praefixo *ki* instructum est. Item (p. 28.): *Okituxi kia jatata jetu Adam ne Eva kia-gikile atu assololo o ribita ria eulu*, i. e. peccatum primorum-patrum nostrorum Adae (sic!) et Evae occlusit generi humano portam coeli. *Kia-gikile* pro *ua-gikile*, quod grammatica requirit, ob congruentiam cum *ki-tuxi* consequendam. Ac paullo post: *o mieno ja jo santo Ginganga ja-kexilebo*, i. e. animae sanctorum patrum erant exspectantes; *ja-kexilebo* pro *a-kexilebo*, ut articulo etiam *j-a* j praefixum est. P. 68. *Nſambi ua-tuma*, deus prohibet pro: *u-tuma*. P. 69. *ua-girika*. ibid. ter legitur *a-tugirika*, *prohibet nobis*,

quod erratum est pro: *utugirika*, ut p. 71 compluries legitur. P. 70 quidem legitur *u-tu-tuma*, sed p. 66 *ua-tu-tuma*, et p. 67 *ua-tu-girika*. Omnes hae formae quidem ad subjectum *nſambi* pertinent, et illius catechismi aut auctor aut editor, aut uterque nullis legibus cognitis ratione haud firmata videntur egisse. Quod maxime apparet ex addita articulorum recensione, qui ut apud Cannecattim casuum signa habentur. Sed id puto ex exemplis proxime allatis apparere, ut in Schuanica lingua, ita et in Bundica et ut verisimillimum videtur, in Congica verbum non ita flecti, sicuti apud nos fit, ut personarum categoriae enuncientur, quae constanti affixo denotentur; sed verba potius tanquam participia praefixo ad singula semper subjecta trahuntur, nullo re vera discrimine inter praedicatum et attributum facto.

Quae de verbi flexione quaestio necessaria videbatur ad enunciationes relativas Africanorum recte judicandas. Nam supra facile visi sunt Congenses integram enunciationem solo praefixo in relativam mutare: *nPetela atungiri*, Petrus aedificavit. *nſo, ja-tungiri nP.*, *domus, quam aed.*, ita ut, quamvis non Hebraeos et Coptos, tamen Vascones aequarent. Sed nunc, quum eos cognoverimus neque vera uti flexione, neque attributum a praedicato distinguere, itaque linguam eorum nedum Indo-europaeis sed Semiticis etiam linguis postponendam esse, nunc jam aliter judicamus. Immo, lingua ista quum nullas exprimit categorias neque cum illis, quas modo diximus linguis, neque cum iis, quae categorias agglutinatis affixis denotant, sed aptissime fortasse cum Sinica comparatur, quae eadem categoriarum expressionem repudiet. Sed cum hac etiam comparata lingua Congica quin postponenda sit dubito minime. Nam illa vocum dispositione gravissimam inter eas rationem denotat, utrum definiant, an definiantur. Itaque grammaticam quandam exprimit rationem atque subtilissime. Sed Congenses modo multo rudiore rudiorem denotant rationem. Quare quum in verbo et adjectivo vera ac forti vi synthetica non gaudeant, concludere possumus, multo minus eos id assequutos esse, ut enunciationem relativam formarent. Quum autem accuratius rem consideremus, in hoc cernitur vitium istius linguae. Quae id solum agit, ut nomen

prehensiones relativas ad singula nomina referat tanquam ad ea pertinentes. Idem faciunt linguae Schuanica et Olofica. Sed quamvis his illa in universum multo ditior, hoc loco iis posthabenda est; ac poenam quodammodo subire videtur, quod sibi externam flexionis speciem, quum non haberet veram ejus vim, arrogavit. Nam primum quidem eas partes, quas pronomen relativum in enunciatione agit, v. g. objecti, Congenses non exprimunt. Comprehensio ista: *jatungiri nPetelo; quam aedificavit P.,* praefixo *ja* ad nomen *nfo,* domus, refertur; sed caret objecto, quod Schuanenses iterato praefixo atque absolute posito exprimere vidimus. Tum autem quum totam comprehensionem tanquam unam vocem ad aliquod nomen referant pronomine, quod verbo hujus comprehensionis praefigunt, haec ipsa dissolvitur, quum verbum a subjecto suo divellatur, cum alius comprehensionis nomine arctius conjungatur. In *nfo jatungiri nP., domus quam aed. P.,* verbum *tungiri* a subjecto suo *nP* est avulsum, et cum alieno nomine *nfo* praefixo *ja* junctum. Catech. p. 8. *O kifeka, kia-fāma ko mukūtu ua mutu uesse uesse, obligatio qua tenetur omnis homo;* in quo verbo *fāma* non ad sequens subjectum, quod praef. *ua* requirit, sed ad alius enunciationis nomen *ki-feka* praefixo *kia* refertur. Ac subjectum semper sine ulla conjunctione subsequitur. Aliud afferam exemplum. Comparetur p. 59. *bekala ringi mulonga ua-tu-tuma nfambi? est-ne aliud praeceptum, quod-nobis-praecipit deus?* cum p. 66. *nfambi ua-tu-tuma ihim ringi? Deus nobis-praecipit quid aliud?* In hac sententia subjectum praefixo *ua* junctum est cum praed., in illa post omnes voces quasi trahitur avulsum a verbo, quod praefixo *uà* ad *mu-longa* relatum sit, tanquam si esset suum subjectum. Quae notionum referendarum confusio valde mihi videtur vituperanda.

Itaque veram nos istarum linguarum rationem et naturam denudasse, easque minime flexione gaudere, sed hujus personam induere ostendisse putamus. Fortasse in compluribus rebus falso judicavimus. Quod quidem animo etiam ad verum promptissimo vix ac ne vix quidem vitari potuit, quum neque Schuanica neque Congica exempla vernacula habeamus ulla. Grammaticae autem ne ad eas sententias quidem, quas ipsae

afferunt, explicandas sufficiunt. Atque utinam semper essent imperfectae! saepius enim sunt falsae. Quodsi alicujus populi animum injuria affecimus, id ut ignoscat valde petimus.

Ex omnibus autem quae hactenus demonstravimus id apparet, in attributo exprimendo eandem illam cerni vim syntheticam quae in verbo flectendo vel praedicato enunciando. Quare ii populi, qui hoc amplecti non potuerunt, illud etiam non sunt assequuti. Atque Indo-Europaei quidem ut omnes grammaticas rationes acerrime distinguunt ac verba, quum vera flexione utantur, ea instruunt copulativa vi, qua praedicatum ipsi subjecto tanquam in effectu addicant: ita adjectiva etiam formant, quae qualitates et actiones non, ut verba, exprimant tanquam enunciandas, sed tanquam enunciatas. Inter has sententias: *corona splendet* et *corona est splendida* nullum fere cognoscitur discrimen. A quibus *corona splendida* nec notione ac tanquam materia distinguitur, sed expressionis lingua effectae forma. Sed cum forma mutatur sensus. Nam illis sententiam enunciamus, quam ab aliis probari volumus; sed verbis: *corona splendida* rem exprimimus tanquam jam dudum ita judicatam ab omnibusque concessam, ita ut una habeatur composita notio. Enunciationis igitur unitas in notionis unitatem mutata est. Ad illam quidem exsequendam linguae Indo-europaeae personarum utuntur signis, quae verbis affigunt, quibusque actionem ad unam ex tribus personis referendam designant. Ad attributivam autem comprehensionem denotandam adjectiva iisdem rationum signis quibus substantiva, ad quae referantur, instruunt; ita ut, quamvis non semper exituum sonis, tamen semper interna logica forma cum substantivis congruant. Qua congruentia adjectiva cum substantivis fortiter junguntur, veluti verbum personae signo cum subjecto, in quibus duobus una eademque cernitur linguae vis. — At aliae linguae aut praedicatum et attributum paene omnino non distinguunt nisi forte verborum collocatione; aut, ut vidimus, attributum ad substantivum integra aliqua voce referunt. Itaque et parum et nimium faciunt. Nam ne vera ut praedicatum ita attributum quoque nulla copula cum substantivo jungi potest. Omnis interjecta copula vel particula

relativa orationis vis ac vigor debilitatur. Nam exitu us adjectivum *bonus* ad vocem *pater* non refertur ut in lingua Coptica voce N, aut in Barmanica voce *tang*, aut in Malaica voce *jang*, aut in Olofica voce *bu* etc., sed re vera ut attributum cum substantivo comprehenditur, ipsa attribuendi actione non expressa, sed designata. Vox *bonus* v. g. appellat bonitatis qualitatem alicui substantivo certis quibusdam rationibus cogitato attributam. Altera autem ex parte istae linguae quum ad simplicissimas exprimendas rationes particulis relativis utantur, fortissimas jam res adhibent. Quare ad enunciationum relationem exprimendam nihil relinquitur, nisi ut totae enunciationes in enunciationis membra mutentur. Itaque fortioribus adhibitis rebus parum assequuntur. Nam relationem quidem, sed non firmam ac valentem efficere possunt comprehensionem. Confundunt sententiae ac periodi fines, sed neque hanc neque illam apte exprimere possunt. Offendunt enim rectum sententiae modum, plura atque graviora in simplicis enunciationis formam vi adigunt. Quare oratio nimium coercetur et constringitur. In quo profecto hoc etiam gravis est momenti, quod populi isti superbo illo aurium judicio carent neque e sonorum numero voluptatem capiunt. Nam aures quidem harmoniae et numero assuetae sine dubio offenduntur, quum duae voces, in quibus sensus ipse positus est tertia voce junguntur, quae quamvis significatione his inferior tamen soni gravitate iis sit aequalis. Quamquam prima et gravissima et rectarum et pulchrarum linguae formarum semper est logicarum rationum perceptio, quae illis formis exprimuntur. Itaque nonnulla, quae modo vituperavimus, Fennicae etiam linguae opprobrio sunt, quamquam ex omnibus facile linguis subtilissimas habeat sonorum leges.

Restat autem ut genitivi apud populos Tataricos et Indoeuropaeos formationem consideremus. Nam ut Copti et alii populi illi quoque genitivum relativo quodam formant, sed affixo, non absoluta voce. Ac Manzuri quidem habent particulam relativam *ngga* (*ngge*, *nggo*), quae aut participiis (formae propriae verbales personis definitae in hac lingua non inveniuntur) suffigitur, aut quum ad adjectiva pertineat, pronomini

demonstrativo *ni* additur, et hoc *ningge* sequitur adj. ,Haec particula cum veteri Sinico 'cè (non 'cī) et recentiore *ti* (5 g) (quod et 'cè et 'cī partes agit) omnino convenit. Utraque enim cum Anglicano *one*, pl. *ones* congruunt; e. g. *abka de izisk'ūn ningge taksimbi*, *coelo obsequens quis* (vel *qui*) *conservatur*. Angl. *an obsequious one*. *Gulu ningge kubuk'e ningge obume*: *simplices alias, praetextas alias facere*, aut ut vulgus nostrum loquitur: *welche* (= *einige*) *machte er einfach und welche bunt*. *Arak'a*, *er hat gemacht*, vel *gemacht habend*, prtcp. praet.; *arak'angga*, *ein gemacht habender*. Itaque *ngga* ut 'cè minime format participia, sed corroborat participiorum ut ita dicam personalitatem, ut ex adjectivis fiant substantiva. Itaque non ut Sin. 'cī attributum designant, nec nostras quas adjectivas nominant enunciationes, sed potius *adjectivo-substantivas* circumscribunt, quas nos non relativo adjectivo *welcher*, sed rel. substantivo *wer*, *was* introducimus. Praeterea plane ut 'cè non modo adjectiva in substantiva sed etiam substantiva in adjectiva mutat: *gebu* signif. *nomen*; *gebungge* = *nominatus*; *banzik'a* = *qui procreavit* ut participium, aut defin. *procreavit*; *banzik'angga* = *procreator* et *procreatio*. — Quo cum usu convenit, quod *ngga* genitivis pronominum personalium et nominum affigunt, ut adjectiva possessiva absoluta forment: *mini*, *mei*, *meus*; sed *miningge*, *mei quis*, *mein wer*, *der meinige*; *nijalma-i* hominis, *nijalmaingge*, *hominis quis*, *ad hominem pertinens*, *humanus*. — E mera radice etiam hac particula nomina formantur: *sais'ungga* laudandum a *sais'* laudare; *falingga* junctio a *fali-me* jungere. — Aliquando formae verbales in *ngge* cadentes prorsus tanquam formae finitae adhibitae videntur (Gabelentz gr. mandchoue p. 62.): *tuttu ere bitk'e be banzibuk'angge c'ok'ome jargijan z'ugūn, unenggi z'urgan be getukeleme tucibuk'engge, ita hunc librum edens* (= *banzibuk'angge*) *certe veram viam (et) rectum modum clare exposui (tucibuk'engge)*; sed proprie vertendum est *exponens* sc. *fui*, vel: *ein dargestellt habender* sc. *bin ich*. *Wei banzibuk'angge ni*, *ex-quo natus est?* propr. *wessen geboren seiender* sc. *ist er?* Quare re vera saepissime sequitur verbum esse: *z'akabe muteburengge bi* rem complens est; *aika generengge bici* si euntes sint.

Priusquam autem hanc particulam in genitivo adhibitam demonstremus, Mongolorum et Turcorum relativi usum cum Manžur. comparemus. — In lingua Mongolica enunciationes relativae ut in multis aliis circumscribuntur participiis similibusque formis: *činu nadur ökküksen debter*, liber quem mihi dedisti, ad verba: tuus (vel tui, a te) mihi datus liber; *naran-u gerel metü nidutu eme*, femina cujus oculi veluti sol splendent; ad verba: solis splendori similes oculos-habens femina; *idegen öklige-tü kürjen*, aula in qua cibus largitur; ad verba: cibum (ut) donum-habens aula. Sed habent Mongoli quaedam relativi quasi vestigia. Nam pronn. possessiva absoluta formantur relativa particula *kei* eodem modo ut apud Manžuros: *minu* mei, meus, *minükei* der meinige (Manž. *mininngge*). Eodemque modo dicunt Turci: *benüm* بنم mei, *benümki* le mien; *anün* انك ejus, *anünki* qui ejus, der seinige. Notandus etiam est usus, quo genitivus vel omnino attributum locativo cum relativo juncto describitur; *usun u žigassud* est: aquae pisces; et *usun-da-ki žigassud*: aqua-in-qui pisces. Eodem modo ex adverbiis loci addito relativo *ki* formantur adjectiva: *tegre* supra; *tegreki* supra qui, superior. Et Turci dicunt: *dil-de-ki sirr*, *cordis secreta*, propr. *corde-in-quae recondita.*

Quibus praemissis genitivum consideremus. Schottius, v. d. a. c., (in libro: Versuch über d. Tatarischen Sprachen p. 53.) genitivi in linguis Tataricis exitum *ning* statuit perfectissimam esse formam, quae adhuc in dialectis Turcicis inveniatur. Cum hoc *ning* Manž'ur. particulam relat. *ningge* omnino congruere. Manžuros enim, quoniam nullam vocem in consonantem cadere patiantur, *e* adjecisse. Hos autem *ningge* tanquam relativum retinuisse, sed ex eo duas alias formas mutilatas sibi formasse, *ni* (*i*), quo genitivum denotassent (p. 54.), et *ngge*, quod pro *ningge* verbis et genitivis pronominum suffixissent (p. 69.). Itaque *mi-ni-ngge*, der meinige, e Schottii sententia proprie est: *mi-ni(ngge)-(ni)ngge.* In Mongolica autem, ait, et Turcica lingua e *ningge* genitivi quidem signum formatum esse. Sed proprium harum linguarum relativum *ki*, *gi*, *kei* cum illo Manž. *ningge*, itaque cum genitivi affixis ex eo mutilatis cognatum esse, negat. (p. 70.) *Ningge* autem

proprie significasse aliquem *locum* vel certe quid ad loci notionem pertinens. (p. 54.)

Sed de hac re cum praeceptore mihi reverendissimo consentire non possum. Nam primum quidem *ningge* locum significasse non demonstratum est. Concedendum quidem est, in eo maxime linguarum, quae agglutinent, rationem positam esse, quod categorias verbis significantibus ac materialibus exprimunt, atque optime Schottius in dativi postpositionibus radicem verbalem cognovit. Sed tamen semper ita sese rem habere necesse non est. Aliquando enim istae etiam linguae recta ratione uti possunt. Atque in aperto esse mihi videtur, relativum *ningge* ut diximus e *ni* demonstrativo et *ngge* esse compositum. Itaque si genitivi exitus cum hoc cohaereant, ita statuam. Primae genitivi formae videntur *ni* et *nu* et *inu*, quae proprie demonstrativa, Mongolico *ene* hic et hic, *inu* is, *ina* hic, Manž. *i*, *ini*, *inu*, *ni* cognata, tam relativa atque genitivi signa facta sunt. Modo autem prior, modo posterior vocalis, modo utraque, modo vocalis et consonans omissae sunt. Dialecti autem Turcicae hoc pronomen relativo *ng*, e *nge* orto, firmaverunt, ut locativo etiam relativum addere solent. Manžuri priorem syllabam *i* solam retinuerunt; *ni* autem tam raro invenitur (quantum scio in sola voce *aini* et in Sinicis vocibus quae in *ng* desinunt) ut *n* euphonice interjectum dicere possimus. Mongoli aut solam vocalem *ü* aut consonantem etiam servarunt *ün*, *jin*. Osmani habent *ün* et Fenni solum *n*.

Sed non possum quin aliam proferam opinionem, qua facilius intelligitur, quomodo Manž. genitivum tanquam instrumentalem adhiberi possint, quaeque magis ad agglutinationis harum linguarum naturam quadrat. Nam in lingua Manž. radices, quibus *ni* cognatum esse potest, inveniuntur haece: *na* terra, *na-ka* stare, *ne* status, nunc, *ningge*, *ningguda* super; suff. *na* (*ne*, *no*) radicibus additum significat *ire*, *oriri*, *provenire* (quae notiones bene ad genitivum quadrant): *alana*, *ire* nunciatum; *okdo-no*, obviam *ire*; *bongko-no*, gemmas *agere*. Praeterea in Fennica lingua invenitur suff. *na* (*nä*), quod aliquem *statum* denotat: *konna* malevolus, *konnana* malitia; *lipeä* lubricus, versutus, *lipeänä* lubrica via, versutia. Hoc *na* vel *ni* varias describere potuit rationes, accusativum,

instrumentalem, modalem. Itaque cum hoc *na*, *ni* convenire puto accusativi apud Turcos signum *ni* (vel *n*), apud Fennos *n*, apud Osmanos et Mongolos *ji* (*j* e *n* ortum, Schott. p. 25. 26.) et Fennicum adverbialem in *(i)n* exeuntem; (*i* pluralis est signum). Quum vero populi isti singulos casus ac praesertim *accusativum* a *genitivo* distinguere coepissent, Manžuri quidem in *genit.*, quem tanquam instrumentalem etiam hodie quoque adhibent, *ni* *(i)* retinuerunt, sed ad accusativum denotandum aliam elegerunt vocem, quae simile quid ac *na* significavit. Nam postpositio *be*, qua Manž. accusat. designant, mihi quidem cognatam videtur voci *ba* locus et res, *baita* negotium; *baingge* regio, quae vox eodem modo formata est, quo *ni-nggu*, quod supra attulimus, quodque simile quid proprie denotasse verisimile est; suffixo *ngge* autem substantiva e radice formari, supra commemoravimus; *ba-ba* omnia, (*ba-ru*? coram, versus), *be* via. Idem *ba* in Fennicis linguis demonstravit Schottius p. 56. Manžuros revera adjecta voce *ba* (rem) objectum denotare voluisse, ex eo etiam intelligi licet, quod etiamnum in enunciationibus objectivis nostrum enunciationum articulum *dass* voce *babe* (rem) vel *emu baita* (unam rem) postposita exprimunt. — Mongoli genitivum ab accusativo duobus modis distinxerunt. Nam post nomina in vocalem cadentia genitivo *n* addiderunt: acc. *ji*, gen. *jin*. Hoc *n* est possessionis signum, et dativo atque accusativo adjectum significat *suo*, *suum*. Hoc etiam e *ng* ortum videtur, ita ut *jin* omnino conveniat cum Turc. *ning*. Genitivus quum semper fere possessionem exprimat, semper habet hoc *n*, itaque ab accusativo distinctum est. Sed quum nomen in consonantem cadat, *j* abjicitur, et praeter additum *n* genitivus vocali obscurato *ü*, *u* cognoscitur, ut signum ejus sit *un*. Quum vero vox in *n* exeat, solum *u* additur. Accusativus autem post consonantes habet exitum *i*, ejecto *j*. Ex hoc *i* facile accusativus possessivus formatum *jan*, *jen*. Sed ex illo *ji* possessivus formari non potuit, quum *jin* genit. factum sit. Itaque Mongoli idem *ba*, quod Manž. elegerunt, et possess. *n* adjecerunt *ban*. — Turci autem *ni* in genitivo et accusativo retinuerunt. Atque Osmani quidem in accusativo *ni* plerumque in *ji*, *i* attenuatione mutaverunt, in genitivo vocalem obscu-

raverunt: *ün*, quod fortasse transpositione e *nu* ortum est. Sed aliae gentes, ut supra vidimus a Mongolis et Turcis relativum locativo ad possessionem indicandam additum, ita suffixo *ni* relativum *ng* addiderunt: *ning*. Itaque quum hoc *ning* cum Manž. *ningge* comparemus, *ng* convenit cum *nggé*, sed *ni* Turc. a Manž. discrepat, quum hoc pronom., illud sit nomen. Sed genitivi Manž. exitus *ni*, *i* cum Turcico convenit, ac minime ad pronomen relat. *ningge* trahendus est. — Fenni autem, quod maximo iis est opprobrio, genit. et accus. confuderunt et adverbialem etiam (ut Manžuri) parum distinxerunt. — Illud *ngge* tandem proprie est indefinitum, quod relat. factum est; atque videtur e *ke* ortum et Mongolico, Turc. *ki*, *kei* cognatum. Nasalis autem, quam Turcae addunt *(kim)* et Mongoli *(ken)*, ita mirum videri non potest, quum Schottius (p. 39.) literae *n* mobilitatem optime demonstraverit. Idem pronomen invenio in Fennico *ka*, quod relativo *jo* additur, *joka*. Quod respondet Mongolico *jag'an*, quod idem *n* assumpsit. *ja* etiam proprie non est relat., sed significat *jeder*, *quisque* et *quis?* — Itaque relat. *ningge* eadem continet elementa, quae Mong. numerale *nigen*, unus; (ut Copticum Ṅ *unus* et *qui*) et Manž. *miningge* convenit omnino cum Mong. *minukei* et Turc. *benümki*, sed in Turcico منينككى *me-ni-ng-ki* relat. *nge* dupliciter jacet. Pron. autem indef. *kim (ki)* non magis a Mong. nomine *kümün*, homo, derivem, quam Manž. demonstr. *ere*, hic, a nomine *ere*, vir. Quamquam et has voces inter se cognatas habeam et illas.

Particulam *ningge* eo quem diximus modo esse ortam certum nobis videtur. Sed si verum est, quod Schottius vult, Turcos genitivi exitum non auxisse sed alios populos decurtasse, et si *ninggè*, *ning* e demonstr. *ni* et relat. *ngge*, *ng* compositum habeamus, Tatarorum genitivus valde cum Indoeuropaeo convenit. In lingua Sanscrita genitivi exitus est *ſ*; aliud suff., quod rarius adhibetur, est *ſja*. Quum statuere non possim, populos Indoeur. genitivum et nominativum eodem expressisse affixo; illud *ſ* ex hoc *ſja* praecisum esse puto, ut Mongoli et Manžuri et Fenni relat. *nge* abjecerunt; *ja* autem abjectum aut gradatione vocalis antecedentis aut diligenti literae *ſ* usque ad nostra tempora conservatione

compensatum est. — Dialecti Persicae relativo genitivi exitum aut amplificabant aut compensabant. Nam antiquiores dialecti ante nomen in genitivo positum pronomen relativum ponebant, quo nomen regens ad rectum tanquam appositionem referebant, v. g. pater qui filii. In recentiore lingua Persica abjectis omnium casuum exitibus relativum *ja* solum reliquum; sed ad vocalem *i* correptum est, qua genitivus modo ab omnibus aliis linguis Indoeur. alieno ac magis Semitico et Coptico denotatur. Veluti autem Persae ita saepissime populi, quum linguarum formae debiliores factae sint, ac genuinae earum significationes non satis vivide sentiantur, ad formas corroborandas in eandem viam incurrunt, ex qua profecti erant; vel potius animus eundem tenet cursum, in eademque via progreditur, ad quam ineundam primis formis erat excitatus. Itaque suffixa saepius duplicari multis exemplis facile potest demonstrari.

Genitivum igitur pronominibus relativis describi apud multos populos invenimus. Sed duo quum faciant idem, non est idem. Ac non in eo discrimen est positum, quod alii pronomen absolute ponunt, alii suffigunt, Semiti quidem nomini regenti, Indoeuropaei et Tatari recto. Sed haec externa formae varietas interna significationis varietate creatur. Nam verum genitivum nos formamus soli; veram genitivi categoriam nos sentimus, nos comprehendimus soli. Quare populi Romanenses praepositione sua *de* et Anglicani voce *of* et nos Germani, ut saepius jam facimus, nostro *von* genitivum melius exprimimus quam Semiti et Fenni, et non minus recte quam veteres linguae suffixis. Nam Sinenses, qui nomen rectum ante regens ponant, itaque verborum positione prius esse attributum demonstrent, quum *ći* interserant, hoc pronomine eum qui audit vel legit monent, ut positionem respiciat, ne forte copulam *et* mente addat, neve posteriorem nomen habeat objectum antecedentis; sed genitivum non noverunt. Copti autem et alii Africani et Semiti pronominibus suis vocem antecedentem ad sequentem referunt; sed minime unam alteri subjiciunt, ac nullam exprimunt categoriam. In dialectis Turcis genitivus re vera fit adjectivum possessionis, (ut in Slavicis linguis nominum propriorum genitivus adjectivis ex his

formatis circumscribitur). In omnibus his linguis pronomen ita adhibitum relationis significationem retinet, quare in iis genitivus semper a nominibus subst., nunquam ab adjectivis, verbis, praepositionibusque accipitur. Manzuri et Fenni autem verum genitivum plane ignorant; sed hi, quippe qui accusativum et genitivum confundant, generalem tantum dependentiae proximae casum habent, nulla habita ratione, utrum a verbo an a nomine accipiatur (quod alio loco fusius explicabimus). Nos denique soli genitivo categoriam quandam denotamus; apud nos pronomen eo consilio affixum est, ut hanc minime vere exprimat, quod fieri nullo modo potest, sed quodammodo leniter ostendat. Vox, quum genitivi signo instruatur, alii subjicitur, tam verbis et adjectivis quam nominibus. Quod sufficit: nam hanc categoriam genitivo nostro expressam definite explicare in nostro proposito non est.

Reliquamus tandem simplicem enunciationem, ac videamus, quomodo relativum in periodis aut *vitetur* et demonstrativis compensetur, aut *exprimatur*, primum quidem *imperfecte*, tum autem ab Indoeuropaeis praecipue linguis *perfectissimo* modo. In omnibus autem linguis, quae in inferioribus gradibus consistunt, similia inveniuntur. Nos quidem Sinicam maxime linguam hic consideremus. Sed aliarum etiam, quas subordinatas dicunt enunciationum habebimus rationem. Omnes enim hae ut totius periodi structura cum relativo intime cohaerent.

Praemittamus autem nonnulla de vi et natura pronominis relativi. Quod in simplici enunciatione inveniri non potest. Adhuc igitur particulas relativas in variis linguis sat multas reperimus, sed multae linguae altius quid non assequutae sunt. Sed tanta notionum copia judiciique acumine, quod omnes partitiones, quae inter cogitationes interveniat, discriminis quasi umbras linguae forma exprimi vult, attributum aut propter externam verborum copiam et numeros opportune cadentes aut propter internam cogitationis gravitatem in arctis simplicis enunciationis cancellis includi non potest, sed ipsum per se enunciationis postulat dignitatem. Atque tria hic sunt

consideranda. Nam talis enunciatio attributiva ad aliquod substantivum pertinet, cujus sit attributum, quod vero alius enunciationis sit membrum. Itaque illa, quamvis suo utens jure, alia enunciatione nititur, eique est subjecta. Requirit igitur vocem quandam, (et talis vox sola pronomen relativum nominari potest), qua ad nomen ad quod pertineat referatur eique subjiciatur, vel qua ut dicunt regatur. Sed pronomen relativum quod enunciationem attributivam regat, quum eam non modo ad aliquod substantivum referat, sed etiam hujus in ea partes agat: ipsum est ejus membrum, ejus verbo facile subjectum. Itaque pronomen relativum integram vocem esse, et forma sua duplicem quam habeat rationem tam ad suam enunciationem quam ad nomen, ad quod ea pertineat, perspicue exprimere oportet. Quum ad nomen referatur tanquam attributum, adjectivi formam accipiat illique numero et genere respondeat necesse est. In enunciationibus autem substantivo-adjectivis non adjectivam sed substantivam induit formam; (pro: *welcher* dicimus *wer*). Sed casus sui exitu eam quam in sua enunciatione habeat rationem indicare debet.

Jam supra pronomen relativum ad formalem linguae partem ascripsimus. Nam in eo ab Humboldtio dissentire nobis liceat, quod pr. rel. nomen tanquam ejus vicarium *repraesentare* non putamus. Quod si verum esset, pr. rel. ut demonstrativum inter voces materiales vel reales numeraremus oporteret. Quaecunque enim quocunque modo repraesentat rem, realem habeamus vocem videtur necesse. Sed pronomen relativum omnino congruit cum adjectivorum exitu, qui nullo modo nomen repraesentat, sed adjectivum simplicem, ut illud enunciationem adjectivam, ad substantivum refert. Aptius etiam enunciationes relativas cum adjectivis absolutis vel substantivis comparari puto. Nam quum v. g. *divites, die Reichen* consideres, ipsa radix respondet verbo vel toti enunciationis attributivae sententiae; exitus autem *es*, *en* pt. pronominis relativi exitus substantivi partes supplet, sed ipsa pr. relativi radix copula quaedam est, quae inter adjectivi radicem et exitum quoque cogitari potest et ut dicunt virtualiter quidem exprimitur. Si autem velis, radicem relativi futuram nomines quandam exituum, a quibus et enunciatio attributiva referatur,

et substantivum (ut in *divit-es*) suppleatur. Itaque pr. rel. nominaverim *demonstrativum formale*.

At non solum attributa, sed etiam quaevis simplicis enunciationis pars ad enunciationis dignitatem pervenire potest. Itaque sunt enunciationes *subjectivae* et *objectivae*, quae uno nomine comprehensae nominantur *substantivae*, et *adverbiales*, quae sunt ut simplicia adverbia loci, temporis, rationis, causae. Hae quoque in aliqua superiore sententia, cujus partem describunt, nituntur; at non ad unam ejus vocem pertinent, sed ad totam enunciationem, ut ipsa ea verba, quae iis describuntur, subjecta, objecta, adverbia, non ad unam sententiae vocem pertinent, sed aut ipsam illam constituunt totam, aut, ut adv., ad verbum certe referenda sunt, quod solum proprie enunciet. Substantivae igitur enunciationes, ut subjecta et obj. solo exitu nulla interserta particula denotantur, generali relationis voce referuntur indeclinabili, *dass*, *quod*, *que*, *that*, etc. quae v. g. latino exitui neutrali *um* respondent. Adverbiales autem, ut ipsa adverbia sunt nomina et pronomina declinata, relativis declinatis atque in adverbiali aliquo casu positis aut cum praepositione junctis superioris enunciationis verbo subjiciuntur. Itaque quum Humb. dicat, pronomen relativum esse pronomen quod sit conjunctio: rectius potius, si historiam linguarum sequimur, dici videtur, conjunctionem (quae subordinatas introducat sententias) esse *adverbium relativum*, e pronomine relativo ortum aut ei cognatum. Quare omnes populi, qui pronomen relat. non habent quod flectant, neque veras adjectivas enunciationes neque alias subjectas formare possunt. Apta autem omnium harum enunciationum implicatione, quam Graeci consecuti sunt summa perfectione, quum verbis inter se nexis convenienterque compositis numerose fluit oratio, tum subtilissima sententiarum inter se ratio maxime perspicue exprimitur.

Sed jam quaeramus, quomodo linguae singulae enunciationum relationem exprimant. Ac primum quidem hic notandum videtur, in lingua Sinica ut singula verba, quae enunciationem constituunt, ita enunciationes alias super alias saepius poni sine ullo relationis signo, v. g. Prémare, 212: *jü uêi fû mûng ì mûng* (8 u, v, t, 4 t, 8 z, 4 t) ego (quum) dico tu

somnias; etiam (in hoc) *somnio*: — *pater incepit id, filius persecutus est id* (Cung Jung 18, 1.) = quod pater incepit, filius perfecit. Tales autem enunciationes prorsus non junctae saepius variis modis intelligi ac variis conjunctionibus suppletis verti in nostram posse linguam, facile apparet. Et unum exemplum ex permultis. In libro Schu king II, *ù oỳ 'oī hō* §. 6 legitur: *jeù 'yŭ 'ỳ wei hoĕ pŭ wāng*, (4 f, 6 y, 3 l, 6 z, 7 a, 5 l, 4 d, 7 b) quod aut *una* aut *duabus* enunciationibus vertere possumus: *habens unum ex his nondum forte non periit*; vel: *habet unum ex h.*, etc. vel: *qui habet u. e. h. n.* etc. vel: *si (quis) habet* etc. Si concedimus Sinensium animos adjectiva, quae ante subst. posita sint, tanquam attributa, quae postposita, tanquam praedicata accipere consuesse, fortasse eo huc numerandae sint sententiae, in quibus adj., quae attributa videantur, propter majus pondus postponuntur. Quod praecipue (nisi omnino solum) fit post *jeù* (4 f) et *wei* (4 p), *est, sunt*: v. gr. *jeù sing sién, jeù sing pŭ s'èn*, (4 f, 6 u, 2 f, 4 f, 6 u, 4 d, 2 f) quod Endl. (p. 283) vertit: es gibt eine natürl. Anlage, welche gut ist, es gibt eine nat. Anlage, welche nicht gut ist. Pronomen relat. esse omissum putare non possim, quia alias in lingua Sinica nulla invenio similia. Tales dissolutiones ditissimis tantum linguis concedam, quia mentes postulant linguarum formis tam corroboratas, ut jam his carere possint. Sed quod aut omnino nihil aut certe valde imperfecte assequuti sunt, omittere non possunt. Quare sententiam illam ad verbum ita verterim: *habemus naturam*, (ea) *est bona; habemus naturam*, (ea) *non est bona*. — *wei 'fin mei jung* (4 p, 1 s, 6 v, x) *fuit vir* (qui vel is fuit) *pulcer et fortis*. Quae omnis conjunctionis penuria in Sinica ut in omnibus linguis rarior videtur. — Attamen eandem invenio apud Gallenses, populum Africanum, (a grammar of the Galla language by Tutschek p. 79) miro modo. Nam hi ita loquuntur: grana (accus.), humi sparsa sunt spvit = sow gr. *quae* humi sp. s. Tutschek hanc sententiam ita intelligi vult, ut verbum *sparsa sunt*, quamvis sit forma finita (3. persona aor.), tanquam participium accipiatur. Aliam etiam, quam minus probet, profert opinionem, ex qua verbum *sparsa sunt* sit interjectum (an explanatory apposition), et *grana* sola verbi

sevit objectum. Sed res ita intelligenda mihi videtur, ut forma verbi definita ut participium non sit re vera accepta, quod ridiculum videatur, sed potius tractata. Itaque enunciatio subordinata non interjecta est, sed *inclusa*. Eadem enim *inclusione* omne attributum exprimunt Gallenses. Nam quum adjectivum cum substantivo junctum sit ut attributum, substantivum absolutam thematis formam induit, et adjectivo casuum signa adduntur (§. 193.), i. e. attributum a subst. et casuum signis includitur. Quin etiam, quod magis etiam mirum videtur, quum aliquod substantivum aliud in genitivo positum ut attributum accipiat, casuum postpositiones, quibus substantivi regentis rationes exprimantur, non ut putes huic, sed genitivo adduntur, et subst. regens in thematis forma ponitur; et loquuntur Gallenses ita, feminn (m) Ciceronis - ad misit = ad feminam C. mi (§. 191.), i. e. genitivus a nomine regenti includitur. Haec inclusio, quum subst. regens in accusativo positum est, cognosci non potest, quia accusativus thematis formam sine ullo signo praebet. Quare in sententia etiam illa, quam attulimus, inclusio parum intelligi potest. Sed re vera integras etiam enunciationes, quas tanquam adjectivas vel attributivas subordinare velint substantivo, a Gallensibus ratione ista includi, facile videas, quum hoc subst. habeat postpositionem; tum enim tota enunciatio adjectiva inter subst. et postpositionem ponitur, v. g. *venerunt ad avem, quae sedebat supra pullis suis*, Gallenses ita exprimunt, ut omisso omni relativo totam enunciationem: *sedebat supra p. s.* inter vocem *avis* in thematis forma positam et postpositionem *ti*, (dativi signum et praepos. nostra *in, ad*) interjiciant atque sententiam voci includant. — Itaque haec lingua in attributo jungendo simili modo agit quo Mexicana in objecto, sed multo etiam vehementius. Nam haec aut singula nomina, aut ne ea quidem sed pronomina tantum, quae illa demonstrant, verbo includit, sed lingua Gallensium totam enunciationem.

Frequentissime autem, in quo proximus cernitur gradus, fit, ut relativum demonstrativo compensetur atque magis minusve apte. Humb. e lingua Quichua exempla attulit: *nititur in clementia dei; hic homo eam assequitur* = homo

qui . . . nititur . . . ass. Accuratissimam autem hujus loci et subtilissimam expositionem multis exemplis, quae e Polynesiacis linguis prompsit, instructam in libro: Über die Kawi-Sprache (III, p. 825 seq.) dedit *Buschmannus*, v. d. a. c., qui harum et Americanarum linguarum cognitionem ab Humboldtio tanquam hereditate accepit. Unum tantum transscribam exemplum: *is fidelis amicus est, is fidelis in adversis rebus est* (Nr. 720.), in quo exemplo aut prius aut posterius *is* relative accipi potest. Et simili modo loquuntur Gallenses, (Tutschek p. 78): *infans mortuus est hic; in terra invenerunt* = inv. inf. qui m. e.; itemque: *avis arbor, mel in eo erat, in eo sedit* = avis in eo arbore sedit, in quo mel erat. Talia demonstrativa, quum minus res veras demonstrent, sed magis grammatica ratione rem determinent, ut nostra pronomina determinativa, quae nominibus addita sequentes enunciationes relativas antea ostendant, formalia magis sunt habenda. Itaque linguas istas, quum vera pronomina relativa semper sint correlativa, integra correlativa assequi non potuisse, sed dimidia atque leviorem tantum partem, videtur censendum.

Huc etiam traxerim pronomen Sinicum *sò* (6 h), quod objectivos relativi casus describit. Idem signum significat etiam *locum*. Hanc dicunt primam fuisse vocis significationem, ex qua vis relativa ita orta sit, ut in hebr. אֲשֶׁר *ăšer*. Sed ut *ăšer*, (minime arabico *ether*, *esser* cognatum), proprie est demonstrat., ita *sò* Sin. quoque pron. demonstr. esse contendo, atque cognatum vocibus *sū* (7 c) et *c'y* (6 z) et *cȳ* (7 d) *hic* habeo. Et saepius quidem *sò* ita adhibetur, ut nobis etiam demonstrativum multo aptius et facilius videatur. Itaque legitur (C. J. 20, 14) *'cāi mīng sò ì siēu šīn* (7 e, 3 d, 6 h, 1 k, 7 g, f), *se purifier, voilà la manière de se régler soi-même*, vel: *hac re moderantur sibi ipsis*. Ib. 26, 4 *pŏ héu sò ì cái uĕ* (7 h, i, 6 h, 1 k, 7 k, 6 a), *est amplus et profundus: ea re sustentat res*. Itaque (Endlicher p. 272.) sententiam illam: *kì sò pŭ jŏ, uĕ 'sī jū šīn* (7 l, 6 h, 4 d, 7 m, n, o, 3 k, 4 s), quam E. interpretatur: *was du selbst nicht wünschest, thue nicht den Menschen*, ad verba ita verterim:

ipse *hoc* non cupis, ne inferas hominibus.*) Et ubique similiter. Quare *sò* genuina sua significatione pro demonstrativo *kì* adhibetur: (E. ib. Anmerkung) *wèn sò jù jēn sū ...* (5 f, 6 h, 1 l, 7 p, q, 5 h), *sie frug nach jenen, welche (ihm) zu trinken und zu essen gaben*; quod ad verba ita vertam: quaesivit *hos dantes ad bibendum (et) edendum, hos*; ʿ*cè, sos* est participii vel ut diximus personalitatis signum. Huic exemplo similes sunt eae sententiae, in quibus *sò* in initio et ʿ*cī* in fine sententiae positum est. Apud Endlicherum talia exempla non invenio. Sed Schottius, qui *sò* generale verbum relativum habet, (proprie *sò* dicit significare *locum*, tum *quae loca*, nostrum *wo* et vetus *so*), ʿ*cī* putat additum, ut personalitatem addat, quae in *sò* non jaceat, ut Turci et Semiti post *ki* et *ăšer* pronomen personale aut demonstrativum addant. Sed apud illos populos res aliter sese habet, ut mox demonstrabimus. Apud Sinenses autem ʿ*cī* est additum ut attributi signum; v. g. *kiūn sò fēn ʿcī tī* (1 n, 6 h, 7 r, 1 e, 7 s), schedae, quas dominus cremavit; ad verba: *dominus has cremavit eae schedae*; ʿ*cī*, *eae* totam enunciationem antecedentem tanquam attributum comprehendendam monet et ad *sui schedae* referendam. — *so kīng ʿcī hài ʿsūng-jeù tō jù* (6 h, 7 t, 1 e, 7 u, 4 n, f, 7 v, x), in mari quod vecti sumus, fuerunt multi pisces; ad verba: *per-hoc vecti sumus quidem, mare* (vel maris interius) *habuit multos p.*; ... (*quidem*, vel *id*, *ita*) verba *sò kīng* attributum fiunt vocis *hài*. Aliud addamus exemplum, in quo tria inveniuntur relativa, quae non satis distincte interpretari solent: ʿ*sūn. ...* *tab ū sò ... kīng ʿcī ʿcè sūn* (3 v, 5 p, 1 e, 7 y, 4 s, 7 z, 6 b, 1 b, 4 e, 1 e, 5 h, 8 a), *universi communis (penetrans) ratio (comprehendit) quinque (res)*; *quas ad agendas* (*has superare agendas*) *hoc (comprehendit) tres (res)*, i. e. La raison uni-

*) Eadem sententia in Q. II 13, 3. legitur verbis paullo mutatis, atque ita, ut e Graeca lingua in Sinicam magis ad verba verti non possit (v. infra). Quod a Confucio (550 a. Chr.) dictum inopinantes legent ii, qui Jesum primum et unum illius inventorem dicant, quippe qui id etiam nesciant, Rabbi Hillelum jam (150 a.) illud brevissime dixisse ac fortissime. Sed dicere praeclare [illegible] facilius videtur, quam praeclare agere.

verselle comprend cinq choses; il en faut trois pour les pratiquer; *so* proprie est demonstr.; *'cè* voces *sò i hing* ad unam jungit notionem (subst. abstr. die Ausführung dieser); sed ipsum *'cè*, proprie *tale*, cum vocibus istis ut substantivum cum attributo suo particula *'ci* jungitur. Itemque se res habet in *'C. J.* 20, 15. Itaque *'cè* minime personalitatem, quam ipsum non habeat, sed relativam vim demonstrativo *sò* attribuit.

Ab his exemplis diversa sunt ea, in quibus *'ci sò* in initio invéniatur, quae hunquam, ut Endlicher vult, *id quod* vertam. Sed *kiŭ* *fin 'ci sò pŭ kiūn hū* (2 b, 8 b, 1 s, e, 5 h, 4 d, 9 g, 3 m) (*ist dies (ki) allein derjenige, welcher (ci — sò) die Menschen nicht einsehen?*) ita vertendum est: *hoc solum* (est) *homines hoc non vident?* nam *'ci* hic est subjecti signum. In exemplo quod sequitur (p. 274.): *kuŏ 'ci sò chūn 'cè hing* (6 k, 1 c, 6 h, 8 c, 5 h, 8 d), E. peccat contra legem, ex qua *sò* nunquam est subjectum, quum interpretetur: *desjenige, was das Reich erhält, ist Glückszufall.* Sed vertendum est: *regnum eo servatur*; *id* (est) *fortuna*; vel si vis brevius: *regni fultura est f.*; tum *'ci* est genit. signum; (de *sò chūn* = *fultura*, mox infra). Itaque rectius diceres non *'ci sò*, sed *sò — 'cè* significare *das was*. Nam ut supra *'cū*, hic *'cè*, quum omnes voces antecedentes comprehendat, demonstrativo *sò* vim attribuit relativam. At eodem modo ut demonstr.: *sò*, *kì* (2 b) etiam adjecto *'cè* assumit vim relativam. In *Tai Hiŏ* legitur: *kì pèn luán ŏrl mŏ 'ci 'cè feù i* (2 b, 6 c, d, 2 n, 6 e, 5 n, h, 6 f, g), *ejus radices perturbatae et tamen rami recti, hic non est*; *kì* relativo *'cè* fit relat., quare vertere possumus: *cujus radices* etc. Quod demonstrat, *sò* non magis esse relativum quam *kì*; *kì* autem in illo exemplo necessarium erat, quoniam *sò* genitivum non denotat.

E pronomine demonstrat. *so* factum videtur interrogativum; *hoc* — *hoc?* — *quid?* Itaque Endlicher p. 273 affert: *was (sò) ist kostbarer als ein Weisen?* proprie *wahrlich ist (wen) dies* etc. Ex interrogativo autem facile relativum fieri potuit, ac concedendum est, ut in omnibus iis linguis, quae relativum demonstrativis compensent, in Sinica praecipue, haec illorum naturam magis minusve sibi usu denique sumpsisse, praesertim quo magis populi voluntatem mentemque habe-

bant, ut relationem exprimerent. — Notandum etiam videtur vocem *sò* ad nonnullas formas describendas adhiberi. Nam primum quidem passivum ita exprimitur, ut pro: *occisus est a M.* dicant: *fuit, quem (sò) M. occidit*, proprie: *fuit, hunc M. occid.* Tum autem commemorem pronomine *sò* substantiva *loci, instrumenti* similia formari: *sò jēn* (8 e) quod dicunt (pr. *hoc* dicunt) = *verbum*; *sò kueī* (8 f) *ubi confluunt* = *confluens*. *sò ì* (8 g), *quo nititur* = *fultura*. Denique *sò* elliptice invenitur, v. g. *ȍ* (6 m) *sō*, *quod ad me*.*)

Ut adjectivae sententiae, ita substantivae etiam demonstrativo utuntur, et Sinicum *ʿcī* in hoc usu valde cum nostro *dass* convenit. ʿC. J. 4, 1. *tad ʿcī pǔ hīng; ȍ ʿcī ʿcī*, *via non trita; scio id; ich weiss das (dass) der Weg wird nicht betreten.* — *jān kī k'àn cīn ōrl pǔ k'ò ì ʿcī* (8 e, 2 b, 1 i, 3 t, 2 x, 4 d, 1 i, 8 i, 1 e), *dicit, is debet alliei et non debet removeri, hoc: er sagt das, er muss* etc. *ʿcī* hic minime est objectum, quum verba sint passiva. *Cỳ* (6 z) etiam ita ut *ʿcī* = *dass* adhiberi videtur: Prémare p. 212. *ʿcī cỳ kī tá mūng* (1 m, 6 z, 2 b, 3 q, 4 u), *scimus id haec (fuisse) magna somnia, wir werden wissen dass, dies waren grosse Träume.* Quod certe multo magis videtur probandum, quam si enunciationes subordinatae coordinationis conjunctionibus introducantur, ut in ʿC. J. 20, 6. *tĕ ōrl ʿcī* (8 k, 2 x, 5 a) *assequitur et ita regitur* = ass., ut (bene) regatur. Alio loco dixit scriptor quidam de Indico quodam populo, quem propter morum castitatem laudavit: *pǔ tĕ ì hoāng juēn ōrl pī-ī ʿcī* (4 d, 8 k, 1 k, 8 l, 4 k, 2 x, 8 o, p, 1 e), *non debemus* (pr. *assequi-*

---

*) Pronomen *sò* et verbum *sò*, quod locum significat, idem esse existimare prorsus non possum, ac quum Sinenses pron. *sò* eodem signo ac substant. scribant, id faciunt, quia melius signum non habent. — *jeū* (8 r) tandem, quod idem *locum* significat et pron. relat. nominatur, non magis est pronomen, quam subst. *sò*, *locus*. Sed signum *jeū*, quum pronominis relat. vices supplet, fortasse *sò* est appellandum. Facile enim fieri potuit, ut, quum signum *sò* (loci) pro pronomine *sò* adhiberetur, signum *jeū* (*locus*) quoque *mutato sono* ita poneretur, ut pronomen *sò* significaret. Similes signorum permutationes in scriptura Sinica persaepe inveniuntur. In recentiore dialecte genitivi signum *tĭ* (5 g) saepius *tí* (6 r), *terra* scribitur et *tì* (8 s), *fundus*.

mur) *propter magnam longinquitatem* (quia valde longinque eolit) *et* (ut) *despicere* (-ciamus) *eum*. Immo pronomen relativum hac generali conjunctione *ōrī* compensatur. C. I. 13, 3. *ci cū ki ōrī pŭ judn, i wē ci jū fin* (7 b, 3 n, 7 l, 2 x, 4 d, 8 q, z, 7 n, o, 3 k, 1 s), *inferre ad* (te) *ipsum et non cupis, etiam ne inferas ad homines* = *quod* nolis tibi inferant etc.

Consideremus jam proximum enunciationum relativarum gradum, qui eo cernitur; quod enunciatio particula vel suffixo quodam proprie relativo ad substantivum refertur, ut supra saepius simplicia attributa relata vidimus. Ac praecipue de lingua Vasconica hic videtur disserendum. Quae profecto, si in qua Humboldtius studium collocaret, digna erat. Nam admirabile est animi humani opus, singularique gaudet natura ac praestantia. Nullam habet inter omnes quas novimus linguas sibi cognatam, sed una est linguarum gentis quasi superstes, ac valde antiqua videtur. Itaque vehementer optandum est, ut Mahnius, (v. d. a. ill.,*) quod jam diu promiserit, denique perficiat, ut grammaticam et lexicon illius linguae in publicum edat. Nos quidem de ea tantum dicemus, quantum ad nostrum propositum pertineat.

Lingua Vasconica Americanarum externa tantum specie similis est, iisque fortasse, quantum ego videam, praeferenda.

---

*) Equidem hujus linguae si quam habeo cognitionem huic ipsi Mahnio debeo, quem supra commemoravi, ac non possum, quin coram omnibus maximas agam gratias huic viro, cujus nescio utrum eruditio ac maxima in comparandis linguis cautio magis sit laudanda, an liberalitas, modestas, denique humanitas. Quo duce ac praeceptore non modo omnibus recentioribus linguis Romanensibus operam navavi, sed etiam veteri Provincialium linguae poetisque quos Troubadours nominant, qui saepius laudari aut vituperari, rarius legi videntur. Tum ille linguam Russicam, denique Vasconicam, cujus accuratissimam inter omnes facile, qui nunc vivunt, homines habet cognitionem, liberalissimo me docuit animo. Praeterea maxima benignitate multa mihi praebuit adjumenta literaria, et colloquiis paterna cura a falsis viis aut ingenio meo alienis me dehortabatur, ad alias rectas vel ad quas natura mea magis videretur idonea vias me excitabat ineundas. Quum non semper docti viri sint humani, eo majore gaudio illud eloquutus sum.

In fingendis formis maxima gaudet compositionis vi, et quamvis minus videatur, ut ita dicam, confidens vel si vis minus fortis quam illae, tamen minus etiam in contrahendis et curtandis formis est vehemens, sed magis certas quasdam ad facilius cognoscendas servans leges. Quod non modo linguarum investigatori jucundum dicas, sed ut ubique in linguis etiam leges servatae liberam culturam adjuvant maxime. Intra leges linguae maxima gaudent creandae formarum copiae facultate. Formae autem constanti lege creatae maxime semper sunt perspicuae, et haec perspicuitas populi illam linguae creandae vim semper vivide incitat, ac quominus formae confundantur vel novae formentur, quae totius linguae naturae non sint consentaneae, prohibet. Itaque in exprimendis etiam enunciationibus relativis lingua Vasconica praeferenda est Americanis. Hae enim pronomen relat. habent nullum. Illam quoque pron. relat. habere negat Humboldtius. Recte*; sed tamen, ut jam diximus, habet particulam quandam suffixam, qua enunciationes relativas exprimit. Dicunt Vascones (Larramendi 274) *jaten-det* (in aliis dialectis *dut*) *edo*; sed *panis, quem edo* reddunt: *jaten-ded-an ogia* ad verba: *edens habeo* + *eum* relativum *panis* (*a* affixo *an* est euphon.). Quum suffixum *n* participia etiam formet, Humboldtius enunciationes relativas istas omnes participia sola esse statuit. Sed quum mirum videatur, si dicimus linguam sexcenta habere participia infinitis personarum et temporum rationibus distincta, aptius videtur, si Vascones judicamus participia particulâ relativâ describere. Nam lingua eorum duas habet particulas vel articulos *a* et *n*, quorum posterior Sinico *ʃcī*, prior Sinico *ʃcè* respondet. Ambo saepius junguntur. Sed eo Vasconico *n* Sinico *ʃcī* est antehabendum, quod semper hanc unam habet significationem relativam, ac, dummodo ne sit praepositio, nusquam aliter intelligi potest. Tota linguae Vasconicae naturae omnium formarum praecipua distinctio, cum Sinica formarum indifferentia vel potius omnium penuria comparata, non modo patitur, sed nos adducit, ut in isto *n* quid superius quam in *ʃcī* agnoscamus. Nam *n* semper enunciationem refert, sed *ʃcī* participii quodammodo vel attributi plerumque est signum. Sed nunc vero pronomine

relativo differt, quod refert quidem enunciationem, sed eam non regit, i. e. non vere conjungit cum substantivo, eam huic non vere subjicit. Atque, ut supra eas linguas, quae simplicia adjectiva relativo ad substantivum referant, quum fortiora adhibeant, debiliora tamen diximus assequi: Vascones contra dicendum est, quum debilius quid adhibeant, affixam literam pro verbo quodam integro, et fortiora assequi, quum enunciationem totam extenuent ac paene tanquam verbum solum tractent, (atque in hoc de *n* et *en* idem dici posset, nisi in Vasconica lingua verbi et enunciationis fines multo acrius essent distincti quam in Sim.), et debiliora etiam, quia enunciatio Vasconica ita est forma sua descripta, ut non patiatur, se tanquam verbum sola literâ (*n*) affixa alio verbo subjici. *N* enunciationis relativae non est membrum, neque substantivi partes agit, sed re vera, quum verum ejus usum accuratius consideramus, generalem aliquam relationem exprimere videtur. Nam primum quidem merae radici addi videtur: rad. *ja* edere — *jan.* Quam formam dicunt infinitivum esse praesentis et participium praeteriti. Itaque quum Vascones notiones *fieri* et *factum* (*werden* et *geworden*) una voce *izan* (proprie *esse*) exprimant, bene videntur Hegeliano logices systemate imbuti, quo omne *fieri* simul *factum* esse constat. Utcunque hoc se habet, id certum videtur, formam illam minime intelligi, priusquam eam non invenerimus significationem, qua illae duae inter se contrariae continentur. Praeterea notandum est apud Manzuros etiam participia perfecti et imperfecti tanquam infinitiva praesentis adhiberi. Atque forma haec *jan* generalem actionis (edendi) notionem significare videtur: *naidut jan*, volo edere et perf. *jan-det* comedi, proprie *edere-id-habeo, ich habe das Essen eine Sache — ich habe gegessen.* Ac fortasse in principio quidem praesens *jaten det* edo (edens id habeo) a *jan-det* non tanquam a perfecto, sed ut *praesens definitum* ab *indefinito* distinctum est. Quod si verum est, *jan-det*, propr. *saepius edo*, vel *saltem edere*, postea, ut apud Afros etiam factum est, perfecti significationem accepit (Perfectum proximum apud Larramendium respondet perfecto hodierno diei in grammatica Congica). Nam qui saepius facit, is fecit. — Praeterea,

quod non minus verisimile habeo, fortasse *jan* aut ut parte. praet., aut ut infin. praes. mutilatum est. Ac [mihi aliam infinitivi praesentis formam, quae actionem non tam generaliter ut *jan*, sed definite ut praesentem denotat, *ja-te-a* cum participio praes. *ja-te-n* comparanti (*a* ut Sin. *ṡe* format substantivam infinitivi formam, *n* adjectivam participii formam), participio *ja-n* respondeat infinitivus *ja-a* videtur necesse. Sed verisimile est, inter has duas vocales *a* syllabam vel consonantem fuisse, quae isti *te* corresponderet. Et] quum in parte fut. praeter formam in *co* (*go*) cadentem (*jango*) aliam inveniam *janen*: conjiciam primam infinitivi indefiniti formam fuisse radicem *jan*; *n* igitur non relat. est, sed ad radicem pertinet, a qua derivandum erat adjecto *n* partic. *jan+n*. Secundum *n* abjectum est, ut idem fit in *sen* (fuit), quod, quum *n* relativum addendum sit, (qui fuit) tamen appellatur *sen*. Aut fortasse vocalis *e* euphonice intersertum erat, *janen*, quod tanquam futurum servatum esset; (ut in linguis Slavicis etiam praes. indefin. futurum exprimit). Sed in perfecto, fortasse eo consilio ut discrimen inter perf. et fut. fiat, syllabam finalem *en* abjecerunt, ita ut infinitivo aequalis fieret. Fortasse autem participium indefinitum e radice sine illo participii signo formatum est, sed infinit. cepit detrimentum, ut aliquem exitum, *tu*, amitteret. Quamvis enim lingua Vasconica in plurimis formis suis antiquitatis effigiem praebeat, tamen nihil esse mutatum, immo curtatum non statuam; et semper in hac diviti et distincta lingua formas mutilatas esse censere non posse puto, quum duae, quamvis significatione distinctae, sono conveniant. — Sed quod proprie hic attinet, participium vidimus formatum affixo *n*, contra infin. affixo *a*; *n* autem accipit *a*, et hoc *na* (*du-na* habens is) respondet Sin. *ṡiṡeā*. Nam *a* (= *ṡa*) addit substantivitatem vel personalitatem et *n* (= *ṡoi*) radicem tanquam adject. ad substantivum pronominale id (is) refert. Quos articulos si invertis, ut fiant *an* = *ṡe ṡoi*, et formis verbi integris interserto euphon. *e* adjicis, formantur enunciationes adverbiales: *bildu-situen-ean* = quum eos collegisset. Tales enunciationes fortasse mere relativae ita ortae sunt, ut in principio quidem semper substant. sequeretur, ad quod referantur, ut

dies, *tempus*, ita ut re vera esset: *tempore quo*, ut saepius etiam nunc invenitur, sed solo *n* non *ean* affixo: *sen eguna*, dies, quo (quum) fuit, ut Sinenses etiam loqui solent. In quo forte quis aut praepositionem aut casus signum post *n* exspectat. Sed *n* generalem quidem relationem, non singulas relationis rationes, quas nos casuum pronominis relativi exitibus exprimimus, indicat. Quod vitium est, atque eo factum, quod *n* relationis signum tantum est, non verbum relativum, quod enunciationis referendae sit pars. Ex quo id etiam fit, ut *n* enunciationem minus attingat, minus subjiciat. *N* inter subst. et enunciationem constat tanquam intercessor, sed non, ut nostra pronn. rell., e media ipsa enunciatione hanc devinctam substantivo adjicit. Atque re vera hoc *n* idem videtur, quo genitivus formatur: *bne-k* tibi, *bne-n* hujus; *sems-en* coelorum. Itaque *sen eguna* fortasse in principio erat: *der Tag des seine war* vel: *seines gewesens*; *n* (ut *ei*) verba antecedentia in attributum mutat, in adjectivum vel genitivum. Adverbiales autem enunciationes ab his attributivis eo distinguuntur, quod literae *n* alter articulus *a* praeponitur, quo tota enunciatio antecedens in unum nomen mutatur, sive in substantivum quod litera *n* in genitivo ponitur, sive in adjectivum, quod literae *n* refertur ad substantivum, quod supplendum est, ut *tempore* etc. — Sed quum affixum *n* praepositionis etiam partes agat, res ita quoque explicari potest, ut affixo *(en)an* primum quidem tota enunciatio vocali *a* ad unum substantivum comprehendatur, tum autem praepos. *n* = *in* addatur, ut *an* idem sit quod nostrum: *indem.* Quae formatio quum antiquissima, et ipsa praepositio *n* proprie relativum videatur, vix decernam, quae ex his duabus opinionibus rectior sit. Sed in lingua Coptica etiam pronomen relativum tanquam conjunctio in adverbialibus temporis praecipue enunciationibus ita adhibetur: AFMOKMEK, *voluit*, ÈT AFMOKMEK *quum voluisset.* Haec lingua id etiam docet, minime verba *tempus*, *dies*, semper esse supplenda, sed sola pronomina personalia, ut dici oporteat, enunciationes adverbiales relativis compensari; pro: *quum audissent*, dicunt *ii, qui audiverant*, NTOOY DE ÈT AYSÔTEM. Apud Coptos hic usus ita ortus videtur, ut participia Graeca pronominibus

relativis vertere solerent. Sed si rem accurate vidimus, de ipsis istis participiis Graecis et Latinis dicere nos oportet, adverbiales rationes attributivis circumscribi. Participium enim semper est attributum. Quare quum attributum prorsus non idoneum videatur, participium, quod sit adjectivum, in adverbium mutatur, quum genitivo vel ablativo absoluto utantur. Sed fortasse in hoc relativo ĖTE, ET praepositio Ė jacet, quae cum vocali initiali confusum esse possit, ita ut ĖTE quoque cum nostro *indem* conveniat. — Annotandum autem est, Vascones pronomine interrogativo *sein* quoque tanquam relativo uti. In quo, quum hoc *sein* casuum exitibus instruant, Indo-europaeos aequant.

In eodem ferme gradu, quo Vascones affixo *n*, Turcos etiam constitisse censeo, quum relativum *ki (g'y)* agglutinent; v. g. استانبل الندیغی وقتده *istanbul alyndyg'y waqytde, tempore, quo Constantinopolis capta est*; affixum *g'y* plane ut Vasc. *n*, Sin. 'cī, sententiam antecedentem: *C. capta est* tanquam attributum esse accipiendam indicat. Ac quamvis animos Turcorum, quos mox videbimus eodem *ki* altiorem etiam in exprimenda relatione assequutos esse gradum, huic affixo etiam *ki* altiorem attribuere sensum, quam Vascones affixo *n*, vel Manž'uros aff. *ngga*, non possit negari, tamen hoc aff. *ki* enunciationis membrum non constituit, neque aptum videatur, si collocationis ejus ratione habita statuere velis, ea de causa illud (nedum Manž. *ngga*, vel Mong. *ki*) post enunciationem relat. poni, quia tanquam substantivum enunciatione tanquam adjectivo definiatur. Sed haec positionis regula, qua in Tataricis linguis, ut in Barmanica et Sinica *), verbum definiens ante definitum ponatur, hic ita est adhibita, ut enunciatio relativa ante substantivum, ad quod referatur, ut attributum ponatur.**) At Turci, ut non semper *ki* affigunt, ita enunciationes etiam rel. non semper post subst. ponunt.

*) Sed de objecto aliter sentiunt Sinenses quam Tatari et Barmani; de quo v. Humb. Einleit.

**) Praeterea si Turcic. *ki* certe enunciationis partem ac membrum nominare velis, inter *ki* et enunc. rel. non substantivi et attributi, sed subjecti et praedicati intercedit ratio. Subjectum autem semper ante praedicatum in illis linguis ponitur.

Sed, ut jam dictum est, quamvis eam quam tanquam dotem in origine acceperunt relationis debilitatem minime omnino vicerint, tamen multo liberiore in exprimenda relatione usu quam Manzuri et Mongoli gaudent.

Nam Turci relativo suo *ki* proximum etiam gradum assecuti sunt, quem praecipue Copti et Hebraei occupant. Id enim quod Vasconicum *n* deficit quod enunciationes parum regit et subjicit, in his linguis eo additur quod relativa sunt integra verba, quae enunciationum subordinatarum efficiunt partem. Atque Hebr. אֲשֶׁר *ăšer*, Copt. ÈΤΕ primum pronomen relativum nominare possumus. Sed carent ipsa rationum, quas ad substant. et in enunciatione sua habent, signis et magis nostris *dass*, *quod* sunt similia. Nam hae linguae imperfecte tantum nomina flectunt, et attributum etiam apud Turcos et Coptos quidem non vere refertur ad substantivum congruentiae signo. Itaque quum nos mutuam quae inter substantivum et attributivam enunciationem intercedat rationem sola relativi flexione exprimamus, ita ut pronominis relativi genere et numero attributiva enunciationis ad substantivum relatio, ejus casu autem substantivi in enunciatione conditio indicetur, atque ita ipsum substantivum in enunciatione relativa formali relativi exitu suppleatur: Turci quidem relativo suo *ki* meram relationem et enunciationis subjectionem indicant, attributivam autem vim omnino non denotant, nominis denique in enunciatione relativa rationem ita exprimunt, ut relativo *ki* demonstrativum addant, quod declinent, quoque nomen proprie ac materialiter suppleant; v. g. pro *cujus* dicunt Turci کی انڭ *ki anun* proprie: *quod ejus*. — Atque idem fere de Coptica et Semiticis linguis dicendum est. Sed si Turci accusandi videantur, quod formalem rationem materialiter ac modo paullulum rudi exprimant, Copti et Semiti, ut semper Indo-europaeis sunt proximi, hic quoque multo subtiliores sunt habendi. Nam quamvis concedendum sit, eos, quum in relativo nec genus nec numerum indicent, attributivam rationem parum exprimere, tamen alterum vitium, quod quid formale materialiter exprimant, iis non objiciam. Nam nominis in enunciatione relativa rationem non absoluto demonstrativo, ut Turci, sed affixo quodam

exprimunt. Mihi autem magnum videtur inter Hebr. קְטָלַנִי kĕtālani et nostrum interfecit me discrimen. In hoc enim duas habemus res, vel cogitationes: interficiendi actionem et aliquam personam. Atque actio quidem in tertiae personae agentis categoria, persona autem voce me expressa in objecti casu est cogitanda. Sed illa voce Hebr. dicitur, actionem interficiendi in tertiae personae agentis ac primae patientis categoriis esse cogitandam, atque una sola cogitatio exprimitur. Itemque קְטָלוֹ kĕtālō et interfecit eum sunt distincta. Ac similiter quum dicamus: in eo exprimimus aliquam rem et aliquam relationem. Sed Hebraice בּוֹ bō nulla res, sed aliqua relatio et tertiae personae categoria exprimitur. Quare, quum pronomen relativum nostrum sit elementum formale, אֲשֶׁר קְטָלוֹ ăšer kĕtālō et אֲשֶׁר בּוֹ ăšer bō omnino fere conveniunt cum: quem interfecit et in quo. Nam in hoc et in illo unam tantum habemus notionem interficiendi compluribus categoriis definitam. Sed quum nos objecti categoriam in relativo denotemus, Hebraei eandem in verbo denotant aut in praepositione.

Notandum videtur inter linguas Indo-europaeas non modo Persicam recentiorem, sed etiam antiquissimam Romanensium linguam quam dicunt Provincialem relativo suo demonstrativa addere. Ac re vera que, in quo multae formae Latinae confusae sunt, ut Persicum كه ka, eandem plane habere videtur generalem significationem, quam Copt. ЄТЄ et Hebr. ăšer. In omnibus autem his linguis pronomen relativum non mutatum fit conjunctio, qua enunciationes substantivae introducuntur, ut latino quod, nostro dass. — Quum vero enunciationes adverbiales consideremus, quibus maxime periodi efficiuntur, Semitos Turcis palmam eripere in aperto est. Nam in Turcorum periodis (sed vix eas periodos nomines, sed potius enunciationes junctas) gerundia et participia sine conjunctione, nullo servato modo, quin etiam permutatis subjectis, aliud post aliud in infinitum adduntur. Tales periodi minime sunt quid totum, quod in membra partitum sit; sed sunt sine ulla unitate et in singulas partes dilabuntur. Non sunt corpora organice constituta, non partium suarum et finis sui necessitatem in se ipsis gerunt; sed penes arbitrium

ejus qui scribit est, utrum periodos continuare velit an interrumpere. Itaque Turci, quamvis permultas habeant verbi formas, periodos formant Manžuricis ac Birmanicis, quas Humboldtius praeclare descripsit, aequales. Ac prima quidem hujus rei causa mihi videtur pronominis vere relativi vel relativi vere pronominalis penuria. — Hebraei vero, quum relativum suum praefixis flectere possint, conjunctiones, quae nihil sint nisi relativa declinata atque in adverbiali casu posita, apte formare possunt; ac nescio, quomodo Hebr. כַּאֲשֶׁר *kaăšer*, בַּאֲשֶׁר *baăšer* nostris conjunctionibus: *ut, quum, wie, als* et *quia, weil* postponenda sint. Ac fortasse Copticum ЕТЕ quoque, quo enunciationes adverbiales introducuntur, non merum relativum est, ut jam supra diximus, sed praepositionem Ė in se continet ita, ut hoc Ė cum litera initiali vocis ЕТЕ contractum sit, atque Hebraico *ăšer* omnino respondeat.

Quam autem apud Turcos hereditariae in relatione exprimenda debilitatis vincendae vidimus contentionem, eadem in omnibus linguae partibus, in nominum et verborum declinatione etiam apparet et a Fennicis gentibus continuatur. Atque in hac re mirum ac fortasse inter omnes linguarum familias unicum praebent linguae illae oculis nostris spectaculum. At hic quidem crescentem illam syntheticam (vel comprehendendi) vim in pronomine relativo tantum demonstrare possumus.*)

*) Sed in animo nobis est illius rei ratione habita alio loco de verbo Tatarico et Fennico ita disserere, ut, quemadmodum inter has gentes linguae creandae facultas a Manžurica formarum paupertate et vis syntheticae debilitate initium sumens magis magisque apud Mongolos, Turcos etc. creverit ac tum demum in Mordwinica lingua Americanarum fere divitias assequuta sit, demonstremus. In quo id maxime agemus, ut quantum ac *quale* sit inter linguas quae agglutinent et quae flectant discrimen, quod plerumque non ad ipsam rem sed ad externam speciem pertinens habeatur, atque a Beckero vix agnosci videatur, clare ac distincte Tataricarum et Fennicarum linguarum exemplo explicemus. Atque hic quidem non possum, quin praeceptorem semper mihi venerandum colendumque, Schottium, v. d. a. c., qui primus Fennicarum et Tataricarum linguarum inter se cognationem demonstraverit, ut grammaticam harum linguarum comparativam et grammaticam Sinicam etiam tandem aliquando in publicum edat, palam grati atque obsecrem.

Ac quum apud Turcos inconstantiam quandam et complures relativi gradus simul invenerimus, (nam et *ki* absolute ponunt, fere ut Hebraei et Copti faciunt, et suffigunt ut Vascones, et locativo casui affigunt, et participiis supplent ut Mongoli) Fennos tandem perfectum pronomen relativum sibi finxisse vix negandum videtur. Attamen, nisi in eo labimur, quod omnes conjunctiones et totam periodorum structuram ex pronomine relativo recte mente percepto beneque expresso pendere statuimus ac per se ex ejus radice sequi, easque animos populorum improvisas atque inopinatas rapere ad verborum continuationem orationisque circuitum: id etiam recte fortasse concludimus, populos, qui periodos non amant simplicisque enunciationis fines non libenter transgrediuntur, propriam pronominis relativi vim non satis percepisse. Sed latius etiam progredimur et contendimus, quum synthetica quae pronomine relativo conjunctionibusque exprimatur vis re vera eadem sit, quae verbi flexionem procreet et nomina declinet: Fennos, qui angustioribus simplicis enunciationis cancellis includere cogitationes soleant, fortissima illa ac proprie ingeniosa vi, quae verba et nomina declinet, non esse vere admotos. Itaque non miror quod enunciatio Fennica saepius Tybeticae magis quam Indo-europaeae praebet speciem. Quod latius explicare hic non possum. Sed alio loco, quum hic a periodo proficiscentes declinationem judicaverimus, e contrario a declinatione exordiemur in eaque primam causam esse positam demonstrabimus, cur Fenni veros periodos non sint assequuti.

Ad summum denique pervenimus gradum, quem linguae Indo-europaeae occupant. Quae pronominis relativi *radice* enunciationis ad substantivum *relationem* exprimunt, *rationem* autem, quam substantivum in enunciatione habet, et *attributivam* hujus enunciationis vim pronominis *exitu* distincte indicant. Conjunctiones autem, quae enunciationes coordinatas introducant, a demonstrativis pronominibus, quae vero subordinatas introducant, a relativis derivatas esse a Boppio praecipue ejusque sectatoribus optime demonstratum est. Atque in omnibus fere linguis Indo-

europaeis eadem hic valet ratio. Quum autem certum videatur, illas linguas eo tempore, quo sui quaeque nondum facta erat juris, sed omnes in indifferenti jacebant unitate, pronomen relativum nondum creasse, nullamque hoc a communi matre hereditate quasi accepisse (Pott Et. Forsch. II, 162), juvat perquirere, qua ratione quaeque pronomen relativum consequuta sit. Atque haec quaestio diversa est ab ea, quam Boppius, grammaticae comparativae auctor ac magister, solita ratione subtilissime persolvit. Ille enim perscrutatus est, quomodo variae linguae communem materiam principalem variis modis adhibuerint. Sed fortasse magis etiam ad singularem singulorum populorum sensum penetrabimus, quum quaeramus, unde ad cogitationem aliquam exprimendam materiam sumpserint. Quod specialium est grammaticarum. Etymologica autem ratio in talibus quaestionibus nunquam ac nullo modo potest relinqui. — Nostrum autem hic non videtur esse, singulas persequi linguas. Sed generaliter quidem annotamus relativum in his linguis e demonstrativis et interrogativis ortum esse. In Slavicis tantum linguis et in Gothica res aliter sese habet. Nam inter illas linguas Carnicam invenimus in eodem relativi exprimendi gradu, in quo Turcos vidimus, et fortuito sonus quoque cum voce Turcica omnino convenit. Jungunt Carni particulam relativam *ki* cum pronomine tertiae personae, ut dicatur, quam Germanice loquantur, *ki* vertere voce nostra *wo*, (proprie interrogat.), quod idem *ki* significat. Dicunt igitur Carnico-germanice: *der Mann, wo du ihn bei mir gesehen hast.* Kopitarius (Grammatik der Slavischen Sprache in Krain, Kärnten und Steiermark. Laibach 1808. p. 294.) hunc loquendi usum cum Hebraico congruere putat, et (ψ 1, 4.) מֹץ אֲשֶׁר תִּדְּפֶנּוּ רוּחַ *moc ăšer tidfennu ruah* prorsus ad verba versum putat ita: *pléva, ki jo véter spihne, gluma, ubi eam* (vel *quod eam* = *quam*) *ventus dispellit*. Sed supra discrimen quod inter Turcicum et Hebraicum intercedit loquendi modum demonstravimus, et Carnicae linguae prorsus idem objicimus, quod Turcicae. Pronomen *je* (*eam*) est vox realis eoque suffixum Hebr. *nu*, quod tertiae personae objectivae *categoriam* denotat, proprie reddi non potest. — Mirandum autem videtur, quod

in nulla alia, quantum scio, lingua Slavica simile quid invenitur. Ac quum lingua Carnica compluribus in rebus sorores suas, quibus etiam nunc utuntur populi Slavici, antiquitate superet, hujus *ki* usum cum Persica et Provinciali lingua, quarum formae tam vehementer sunt mutilatae et contractae, non conferam. Sed mihi quidem, omnes linguas Slavicas in principio relationem eodem modo ut Carnos expressisse, verisimillimum videtur. Nam quum pronomen relativum ex Asia non accepissent, primum quidem in eo exprimendo valde erraverant. Sed mox Slavi, talibus linguis culti, errorem correxisse videntur et illud unum tantum ejus vestigium reliquisse. Atque jucundissimum est, animus quantam soni habeat potestatem considerare. Nam re vera pr. relat. Slavicum *iže* eadem continet elementa, quibus Turci et Carni id exprimunt; sed tamen *iže* nullo modo vituperare possis. Nam *že* e Carnico *ki*, quod omnino cum Sanscrito pronomine interrogativo congruit, ortum est. Inter *ki* et *že* autem Lithuanicum encliticum *gi* cogitandum est; mutato *i* in *e*, *g* etiam *ž* fieri necesse erat; *i* initiale autem est pronominis demonstrativi radix, quae declinatur. Itaque Slavi eo, quod particulam relativam *ki* magis suppresserunt et in suffixum mutaverunt, cum demonstrativo junctum, verum formaverunt pronomen relativum, quod etymologicis tantum elementis a nostris discrepat, sed sensu ac vi cum nostris congruit. Relatio enim non solo suff. *že* exprimitur, sed demonstrativum, quum cum hoc jungatur, relativam accipit vim, ut apud nos fit sola collocatione; vel, si Boppium sequimur, (vergl. Gramm. p. 580) *i*, quum addatur *že*, principalem suam vim relativam, quam amisit, denuo accipit. Sed etiamsi *i* non est ad demonstrativum Sanscritum *i*, sed ad relativum *ja* trahendum, id ipsum mihi demonstrare videtur, *ja* etiam eo tempore, quo Indi et Slavi nondum separati erant, nondum relativum, sed demonstrativum fuisse. Id enim valde mihi videretur mirum, si populus, qui relativum aptissime exprimere solitus fuisset, hoc amisisset et tam rudi modo, ut Carni, expressisset. Atque in universum, si linguarum Indo-europaearum mater jam pronomen relativum habuisset, vix tanta relativorum in his linguis diversitas intelligi posset. — Gothi etiam simili modo ut

Slavi relativa ita exprimunt, ut aliis pronominibus particulam *ei* (= quod, *dass*) affigant, quam Boppius Sanscrito *ja* cognatum habet. Sed *ei* liberiore etiam modo adhibetur atque pronominibus demonstrativis et personalibus et articulis affigitur.

Duae adhuc res restant, de quibus loquamur. Nam primum quidem Hispani miro modo relativi fines dilataverunt, et si communia relativa nominemus relativa personalia, illos *relativum possessivum* formasse dixerimus. Dicunt enim *cuyo, a,* pl. *os, as* = *ad quem pertinens*, tanquam si diceremus: *der Mann, dessener Sohn, dessene Tochter* = *welchem gehörender, e.* Itaque *que : él* = *cuyo : su*, et *cuyo* a vulgo nostro ita reddi solet: *welchem sein, e.* Quae vera mihi videtur hujus pronominis vis, et quodammodo congruit cum Slavico *interrogativo possessivo čeĭ, ča, čo* pl. *či* = *wem sein?* Quamquam non negaverim, hunc apud Hispanos usum eo praecipue ortum esse, quod Latinum *cujus* parum intellexerant, eique tres exitus tanquam adjectivo attribuerant, quod apud Slavos simili modo in verbo etiam factum est. Ac confiteri nos oportet, hos populos inorganice formasse quid organicum.

Alterum autem, quo hanc dissertationem finiamus, pronominis relativi est *omissio*, quae in compluribus linguis invenitur *). Atque hac omissione subordinatam enunciationem relativam principali enunciatione, quam dicunt *Hauptsatz*, permutari statuo eodem modo, quo nos omissa conjunctione *wenn*, aut *dass* enunciationem conditionalem aut substantivam in principalem mutamus: *wenn er kommt, so* = *kommt er, so* etc., aut *er sagte, dass er nicht kommen würde*, et *er sagte, er würde* etc. Ut hic duae enunciationes principales asyndeti ratione componuntur, enunciatio adjectiva in illis linguis neglecta omni conjunctione parenthetice ut dicunt interseritur; e. g. *the book, I sent you, is* etc. = *liber, (misi tibi scriptum), est* etc.; aut apponitur etiam, ut cecinit poeta, quem *Troubadour* vel *Trobador* vocant: *Qu'ieu port amor*

*) Ad eas linguas, quae ab Hoefero (Zeitschr. f. d. Wissensch. der Sprache v. Hoefer, 1. Band p. 342.) recensentur, adde linguam Provincialem.

coral A lieys, de me non cal, nam habeo amorem sincerum erga eam, (quae) *me negligat.* — Itaque linguae, quum summum consequutae sint gradum, ad infimum potius redire videntur. At quanta inter has et illas linguas diversitas! Nam quod illae assequi non potuerunt, hae quum assequutae sint, aspernantur. Ita animus in eo quod voce et lingua sibi ipse creavit corpore corroboratus est, ac tantam illius formis adeptus est vim, tantamque libertatem, ut sibi ipsi confidens has formas destruat et cogitationem, quamvis sono imperfecte expressam, percipiat perfectissime.

DE NOMINATIVI PARTICULA.

Cogitanti mihi saepenumero, quid esset, ex quo maxime organica linguae natura appareret, vel quod praecipue ex eo sequeretur, quod linguam organico quodam modo ab organica loquendi facultate creatam statueremus, inter alia id semper maximi videbatur ad propriam linguae alicujus naturam perspiciendam momenti, quod, sicuti in omni organismo partes et totum inter se creant, ita ut totum creet partes et partes creent totum, sed nunquam ex una parte formetur alia; ac quemadmodum semper res organica in contrarias partes crescit, duaque organa inter se contraria simul eodemque tempore semper nascuntur, ita ut, si quid organon inveniatur, quod illorum functionibus duobus solum fungatur, id neque unum neque alterum sit, quod suae et alterius munus sustineat, sed prorsus aliud sit organon, quod prorsus alias agat partes, in quibus illorum munera confusa ac non distincta jaceant: quod, inquam, eodem modo in lingua etiam semper formae tantum inter se contrariae finguntur ac significationem suam peculiarem eo tantum habent, quod suam quaeque alteri contrariam habet significationem, quare simul tantum esse possunt neque una ante alteram neque post alteram, neque ex una altera fingi potest. Quod ab iis qui in linguis operam ponunt nondum satis videtur menti mandatum ac miro modo a Beckero libri praeclari: *Organism der Sprache* auctore maxime venerando, quamvis multa ab eo optime de formis contrariis dicta sunt, nimium neglectum. Quodsi in praemissa de pronomine relativo dissertatione id maxime egimus, ut quemadmodum una generalis naturae vita eo evaderet organica, quod singulis rebus maxime inter se diversis organice constitutis appareret in conspectumque caderet (B. p. 9.), ita

generalem linguae quoque facultatem demonstraremus singulis tantum ad effectum venire linguis, quae toto coelo inter se distarent, e quibusque una quaeque, ut in natura summus quisque rerum ordo maxime singulares acerrimeque inter se propria natura sua distinctas contineret res, in generali atque una linguae idea exprimenda certam quandam et singularem sequeretur rationem, (v. supra p. 9.): hic quum de nominativo disserere propositum sit, in hujus casus tanquam historia aliquam formam ostendemus omnino non exstare, nisi alia inveniatur huic contraria, atque varias habere significationes, si varias habeat formas sibi contrarias; neque eam ex contraria, neque hanc ex ea esse ortam, sed ambo e tertia quadam forma principali atque indifferenti. Cujus rei habita ratione tandem continget, ut singularem perspiciamus singularum linguarum naturam. Diversitas enim linguarum tota fere in eo est posita, quod categoriae formis diverse exprimuntur. Quibus rebus non cognitis antea saepissime in linguis perquirendis valde erraverunt, ac Beckerus adhuc contra recentiores quaestiones etymologicas ut contra causas e linguarum philosophia promptas, omnia nomina a verbis derivata vult, quamvis nomina et verba inter se esse contraria melius eo noverit nemo; ablativum Latinum e dativo ortum statuit; nominativum negat verum esse casum, sed formam esse non declinatam, et vocativum habet nominativum debilitatum (verflachten p. 349.). Quae omnia etymologi refellerunt et redarguerunt. Quod autem ad nominativum pertinet, omnes contendimus linguas, quae obliquos casus vera declinatione exprimant, nominativum etiam verum casum habere. Nominativus enim et casus obliqui, quoniam sint inter se contrarii, aut omnino non exstant aut sunt simul. Atque vero formam stirpis non declinatam, quae in linguis istis nominativi munere fungitur, non minus hoc nomine habeam indignum, quam postpositiones, quibus casus obliqui describuntur, nomine horum. Etymologia enim docuit, nominativum simili modo e stirpe esse formatum, quo alios casus. Nominativus est *casus* subjecti ac mera stirpe exprimi non potest; sed nomina, quum in aliis casibus dependentiae signum ferant, in subjecti casu coincidentiae quam dicimus signo instruunt

tur necesse est. In dependentiae enim et inhaerentiae categoriis quum semper una vox ut dicunt regat, altera regatur, haec sola habet rationis suae signum. Sed praedicatum et subjectum quum paris potius sint momenti ac gravitatis interseque contraria, uterque proprium habere debet exitum: ad praedicatum quidem personalibus exitibus ad subjectum refertur, hoc autem est denotandum esse id, in quo actio, quae verbo enunciatur, ponitur. — Atque in linguis Indo-europaeis nominativum constat formatum esse ita, ut stirpi *s* suffigerent, quod Boppius optime cum pronomine demonstrativo *sa, is* contulit. Quam aptus autem sonus is sibilus vivusque fuerit ad agentis vel moventis categoriam denotandam, eumque esse contrarium sono obtuso *m*, quo actum quiddam et patiens res indicatur, non minus ostendit B. — Multae autem linguae, ut omnino veros casus non habent, sed categorias significantibus vel realibus exprimunt verbis, nominativum etiam ita indicant, ut saepissime quidem substantivo, quod mera stirpe aut radice etiam exprimitur, pronomen demonstrativum, reale igitur verbum, addant. Itaque Manzuri subjecto *ini*, Mongoli *inu*, Tybeti *ni*, quae *hic* significant, postponunt. Sed mehercle, ut Japonenses eo quod verbis radicem verbi *esse* aut *facere* addunt tamen verbi declinationem non assequuntur, quoniam ipsum verbum *esse* declinari debebat: ita isti etiam populi nominativum illis demonstrativis non vere exprimunt, quae ipsa nominativi signis egeant. Semiti quoque (exceptis, si vis, Arabibus) quum omnino nullos habeant casus, nominativum etiam non habent, sed nominum collocatione subjectum ab objecto distinguunt. Sed fortasse hi populi sunt laudandi etiam, quum certe subjecti categoriam cum aliis non confuderint. Quod vero nonnulli populi fecerant, qui coincidentiae quam diximus rationem aut tanquam inhaerentiam aut tanquam dependentiam acceperunt. Atque Sinenses quidem supra (29. 29.) vidimus subjectum confudisse cum attributo. Quod idem de Japonensibus dici posse videtur, apud quos *no* genitivi et nominativi est signum. NZE quidem, quod Copti post subjecta ponunt, e rel. N et demonstr. ZE compositum, nescio utrum sit rel. (v. p. 49) an demonstr. Valde autem mirum videtur, nonnullos populos, et Mongolos et Tybetos, tam

valde a subjecto recte exprimendo aberravisse, ut *instrumentalis* casus postpositione ad id utantur. Quem usum ex Tybetica lingua apparet eo esse ortum, quod passivum ab activo non bene discernebant, sed actionem exprimebant plane indifferentem, nulla habita ratione utrum agatur an recipiatur. Activi enim et passivi denotandi necessitatem ii soli populi sentire possunt, qui vera flexione verbum a nomine acerrime distinguunt. Quod qui non faciunt, ut omnes isti, qui postpositiones agglutinant, quorum verba sunt re vera participia a nominibusque parum distincta, activi etiam et passivi categorias non magis exprimunt, quam nos, quum abstracta formemus actionis nomina, v. g. *auditio Erhörung*, quod et activum et passivum, vel potius neque unum neque alterum est. Attamen fieri non potest, quin in personis certe istae linguae indicent, utrum agant an patiantur. Quare agentem personam signo instrumentalis, ut efficacitatis signo denotant. Nos quidem quum dicamus: *amatur*, in ipsa actione denotamus, aliquem eam non agere, sed eam accipere ab aliquo. Sed Tybeticum illud: *rgjal* (pron. *gjal*) *poe di peb b-ris pa* proprie est neque: rex hunc librum scripsit, neque: a rege hic liber est scriptus; sed ad verba ita vertere debemus: *per-regem hic liber scriptio*, vel: *durch-den König dieses Buch das Geschrieben.* Nam *b-ris pa* neque activum neque passivum est, quare ad vocem Germanicam *geschrieben* neque *haben* neque *sein* supplere debemus, eamque plane indifferentem accipiamus oportet. Ubi vero in talibus enunciationibus sit subjectum difficile est dictu. Sed in animo Tybetorum *per regem* videtur subjectum. Quare in nostras linguas recte verti solet: rex scripsit. Itaque hic quoque ut in Sinicis sententiis inter logicum subjectum et grammaticum discernere debemus. Illud enim a Tybetis voce *per-regem* exprimitur, hoc autem, quum *per-regem* grammaticam significet causae efficientis categoriam, cum praedicato confusum est. *Scriptio* videtur subjectum grammaticum, quod et causa, *per-regem*, et effectu, *hic liber*, definitur. Quod inter categorias logicas et grammaticas discrimen, jam supra (p. 28) commemoratum, quod quantum scio ab omnibus adhuc grammaticis neglectum est, ad peculiarem linguae naturam

cognoscendam summa observetur diligentia omnino necesse est. Nam logicae categoriae fieri non potest quin omnes in omnibus exprimi possint linguis. Sed hae minime semper cum grammaticis categoriis conveniunt. Logicae actionis et substantiae categoriae ab omnibus populis insciis exprimuntur, sed non omnes habent verba et substantiva; atque etiamsi omnes fere radices actionem quandam denotant, tamen verba non sunt nominanda. Aliud afferam exemplum. Nemo est, qui vocem *virtus* qualitatem quandam, *auditio* actionem, *quies* et *motus* statum quendam, *causa* et *effectum* rationem quandam significare neget plane ut voces: *fortis*, *audire*, *quiete*, *per*; sed tamen illas nominamus *substantiva*, minime ut has adjectiva etc. Illae scilicet in logicas quidem qualitatis etc. categorias pertinent, sed grammaticam substantiae rationem exprimunt; in his vero grammaticae qualitatis etc. categoriae exprimuntur, cum quibus fortuitu magis logicae congruunt. Quum vero peculiarem linguae naturam cognoscere studeamus, non logicas, quarum linguae per se non agant curam, sed grammaticas perquirere debemus categorias solas. Itaque Vasconica etiam lingua, quum accusativum forma a nominativo non distinguat, subjectum proprie non denotat. Sed id distinguunt Vascones, utrum quid in *actione* an in *quieto statu* cogitetur. Ea quidem nomina, quibus actionis signum *k*-affigitur, logica semper sunt subjecta. Sed multa quae apud nos sunt subjecta et omnia objecta pari modo in quietis statu cogitantur. Itaque linguae Indo-europaeae veram nominis declinationem inter omnes habent solae. Quae ab istis linguis non externo solum particularum affigendarum modo, sed internae categoriarum significationis perceptione sunt distinctae.

Quodsi nobis contigerit ut grammaticam linguarum diversitatem, primum quidem attributi et pronominis relativi, tum autem subjecti expressione ostenderimus, fortasse etiam sperare possumus, fore ut paullulum quid ad veram contulerimus linguae philosophiam creandam, quae in eo versatur maxime, ut omnibus comprehensis linguis, eo criseos genere,

quod Boeckhius, qui primus philologiam ad artem rationemque redegit, nominat genericum, qua integritate subtilitateque singulae linguae ostendat illam unam sermonis ideam expresserint, et gradatim ad superiores ascendens, quanti unaquaeque in excolendi animi humani progressibus sit moment exponat.

CORRIGENDA:

	pro	lege
p. 1, l. 2 a. i.	tractandam	ad tractandum
- 3, - 19 - -	rythmus	rhythmus
- 15, - 12 - -	inflectione	inflexione
- 16, - 5 - -	flectio	flexio
36, - 14 a. s.	itaque de	*ergo (de)*
- 41, - 11 a. i.	6 2	6 r
- 94, - 2 a. s.	locus inde a verbo: *mihi* usque ad verbum: *Et* (l. 9.) est delendus, sed lege: *Ac quum* etc.	

Typis Julii Sittenfeldii.

Signa, quibus Sinicae quae in hoc libello inveniuntur voces scribuntur.

	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
a.	高	愼	活	屋	愛	物	未	三	久
b.	承	其	死	賢	理	來	亡	唯	杖
c.	帝	獨	靜	聖	會	本	斯	存	匕
d.	曰	上	明	不	二	亂	茲	幸	卜
e.	之	懷	在	行	求	末	齋	言	ガ
f.	夫	善	悲	有	問	否	身	歸	乂
g.	婦	雖	自	弗	的	矣	脩	倚	見
h.	愚	潛	由	學	者	所	博	攸	
i.	可	伏	從	能	既	念	厚	踈	
k.	以	逝	於	遠	昔	國	載	得	
l.	與	將	于	則	或	塵	已	荒	
m.	知	去	乎	望	勞	我	欲	ゞ	
n.	君	公	諸	中	治	惡	勿	弋	
o.	子	先	分	庸	聽	常	施	鄙	
p.	德	王	財	爲	下	睹	飲	夷	
q.	風	暵	大	世	力	聞	食	願	
r.	小	乾	出	訥	必	地	熱	好	
s.	人	嘅	悅	占	受	衛	疏	底	
t.	草	嘆	親	夢	足	閔	經	女	
u.	目	非	心	名	誠	性	海	予	
v.	羽	然	天	道	乍	美	多	謂	
x.	也	而	命	彼	義	勇	魚	貌	
y.	猶	生	孔	故	宜	一	達	父	
z.	雪	字	誰	老	這	此	五	亦	